DE
PULCHRO ET SUBLIMI.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXXI. MENSIS JULII A. MDCCCLXVIII

IN PUBLICO DEFENDET

SCRIPTOR

JOSEPHUS AUGUSTINUS DIEHL

NEOCASTRENSIS.

MONASTERII.

TYPIS COPPENRATHIANIS.

MDCCCLXVIII.

„Τὰ καλὰ τῷ ὄντι χαλεπά."

Plat. De Rep. VI., p. 497. D.

VIRO

AMPLISSIMO · AMICISSIMO

ARTIUM · LIBERALIUM · AMANTISSIMO

ALBERTO · NELS

TABELLIONI · REGIO · NEOCASTRENSI

HUNC · LIBELLUM

SACRUM · ESSE · VOLUIT

JOSEPHUS · AUGUSTINUS · DIEHL

Quamquam, ubi ad conscribendum hunc librum aggressus sum, non ignorabam praestantissimos viros de pulchritudine et sublimitate jam disseruisse, necnon rem, quam susciperem, haud ita facilem fore; tamen munus mihi impositum relinquere nolui hac potissimum de causa, quia quae adhuc de genere illo disputata sunt, ea saepe ipsa sibi adversantur: ita ut operae pretium facere posset existimari, si quis denuo de iis quaerere institueret. Jam vero antea exantlandus est labor incredibilis, emetiendus disceptandi campus valde lubricus et vastior, quam qui angustis hujus dissertationis finibus conveniat. Maximam quae ejusmodi contendenti iter obstruat in eo cerni difficultatem, quod definitionibus sive latius sive angustius adhuc institutis, aut medela afferenda sit aut prorsus conclamandum, vix opus est addere. Id autem propositum dum peragere studebam, partim veterum testimoniis, partim recentiorum, partim ea usus conjectura, quae certa via ac ratione cohiberetur, indagare decrevi, quibus rationibus qua lege ad rectam veramque pulchri et sublimis notitiam comparandam esset incedendum. Quapropter religiose id egimus, ut examinandis constitutionibus intenti tum demum liberiori suspicioni locum praeberemus, quum manca recti vestigia indiciaque excutiendo et modeste prudenterque stabiliorem definiendi viam patefecerimus. Itaque non ingratum me facturum iis, quibus haec studia cordi essent, si aliquid afferre tentarem, speravi.

Duo igitur libelli mei capita esse volui. Quorum prius continet disputationem de Pulchro, et

1) quidem demonstrabimus, pulchrum non confundendum esse cum utili, nec posse consistere in naturae imitatione et sola convenientia partium.

2) exponemus, ad pulchrum efficiendum exemplar requiri, cui forma undique idonea respondeat, ac quaesitis veris omnibusque pulchri momentis et notis constituemus pulchri notionem.

3) explanabimus, secundum rem (realiter) verum bonum et pulchrum idem esse, sed differre ratione.

4) evincemus id, quod dicimus intelligibile et appetibile, praecipuum pulchri fundamentum conficere, ea tamen lege ut illud forma undecunque conveniente repraesentetur.

5) Dicemus, quid ponderis gustatui tribuendum sit.

6) Dijudicabuntur sententiae, quas praestantiores philosophi ac viri docti de pulchro tulerunt. —

Altero capite agitur de Sublimi,

et primum quidem conabimur notionem „sublimis" firmam evolvere; deinde disputabitur de definitionibus, quas critici ex philosophorum scholis eruditi de sublimitate adhuc prodiderunt. —

CAPUT I.

1.

Longum tempus multumque laborem in studiis aestheticae quum consumpsissem libros veterum et recentiorum scriptorum huc pertinentes diligenter evolvens, vidi et cognovi, a plerisque pulchrum acceptum esse vel pro utili et novo vel pro elegantiori gratia, et positum vel in apta partium proportione, vel in decora singularum rerum in unum conjunctarum compositione. Inde obortae sunt innumerabiles dissensiones ac prope dixerim incredibiles opinionum fluctuationes, quibus recta „pulchri" notio cum aliis cognatis nimium saepe commixta temereque confusa est.[1]) Quamobrem totam instauremus quaestionem ut bene discernamus, quid certum quid probabile quid falsum sit.

Jam vero quis non intelligit, utile prae se ferre cum pulchro cognationem ac necessitudinem, quoniam id est forma quaedam boni;[2]) at cognitum habemus observatione diuturna saepenumero evenire, ut deformitates rebus naturae pulcherrimis afferamus, quas in utilitatem vertamus nostram. Sequitur, non posse pulchrum cum utili congruere.

Exinde opinor, novitatem insolentiamque et usum, quantumcumque temperet ac mutet judicium pulchri et turpis, non posse signum essentiale sive constitutivum (liceat his vocabulis uti) neque pulchritudinis neque turpitudinis censeri. Quam multae enim antiquitates injucundae, quam multae novitates nauseae ac fastidii plenae!

---

[1]) Hugonin „Ontologie" II., cap. 7. docte et copiose confutavit harum opinionum errores. — Cf Jos. Bayer „Aesthetik in Umrissen (Prag 1863) II., p. 22—26. —

[2]) Plato „de Republica, V., p. 457 B. „τὸ μὲν ὠφέλιμον καλόν" κτέ. —

Qui aptissime atque ad vivum expressit propositam formam, is sine dubio dicitur habere ingenium artifex. Imitatio autem sola et unica non potest efficere pulchri vim et naturam ac fundamentum. Quam quidem sententiam ipse Proudhon, audacissimus ille realista, aperte confitetur in libello „Du principe de l'art et de sa destination sociale“ (Paris 1865) hisce verbis: „L'art n'est rien que par l'idéal, ne vaut que par l'idéal; s'il se borne à une simple imitation, copie ou contrefaçon de la nature, il fera mieux de s'abstenir, il ne ferait qu'étaler sa propre insignifiance en déshonorant les objets mêmes de la nature qu'il aurait imités.“ Sed sume, pulchrum in una imitatione versari, consequitur ut expressio et eorum, quae vir summa integritate et innocentia facit honesta, et eorum quae quis delinquit, et ipsa pulchra sit, quod quidem absurdum est.[3]) Ergo consentaneum est, pulchritudinem ex fallaci naturae imitatione non aestimandam esse.

Quantum ad exactam omnium proportionem partium, formae convenientis plenitudinem, aptam omnium inter se consensionem lineamentorum, sunt haec quidem verae pulchritudinis signa, quum *τὸ ἀμετρίας* — ut testatur Plato in Soph. p. 220 A — *πανταχοῦ δυσειδὲς γένος* sit; neque tamen ulla harum idearum sola, neque omnes atque universae comprehendunt totam „pulchri“ notionem. Hanc nostram sententiam vehementer laetati sumus plane probatam esse viro, qui est erudito instructus ingenio, Hermanno Lotze, cujus in libro „Geschichte der Aesthetik in Deutschland“ (München 1868) p. 337 haec leguntur verba: „Wer die Schönheit nur durch jene formalen Bestimmungen definirt, welche wir unter dem Namen der Einheit des Mannichfachen zusammenfassen wollen, der hat gar nicht die Schönheit

---

[3]) Plutarch. „De audiendis poetis“ cap. 3. „οὐκ ἔστι ταὐτὸ τὸ καλὸν καὶ καλῶς μιμεῖσθαι.“ — S. Thomas „Summa Theol., 1., 2. qu. 57. art. 3. 4. c. „Cum aliquis habens artem operatur malum artificium, hoc non est opus artis, imo contra artem.“ — Jos. Bayer l. l. II., p. 51 egregie disserit „Die Sittlichkeit in der Kunst ist gleichbedeutend mit der Gesundheit derselben; sie i t das frische Element, in dem die Schönheit aufwächst und gedeiht. Was in der Kunst gesund ist, was die frische heitre Farbe des Lebens an sich trägt, das ist gewiss auch lauter, sittlich und rein.“ —

definirt, sondern nur das aesthetisch Wirksame und Eindruckmachende überhaupt, von dem noch dahinsteht, ob es schön oder hässlich sein werde". Quod facillime intelligetur, quando circumspecte in rebus, quae ordinis scilicet intellectualis, moralis, physici vulgo pulchrae vocantur, ideas illas adhibuerimus. Quid, partium proportio colorum, linearum, sonorum pulchritudinem efficiet? Minime id quidem. Itaque non serio existimes, commune quid praebere pulchram solis lucem cum convenientia vel symmetria. Neque principium „unitas in varietate" juvare ad exponendam pulchritudinem, quae in disciplinis et offfciis et virtute insit, constat. Manifesto igitur non sufficientes sunt definitiones, quae, licet cognatas quasdam notiones a pulchro distinxerint ac secreverint, nihilo minus tamen „regnum pulchri" quod appellamus, justo plus coarctant et limitant. —

2.

Jam vero ut accurata pulchri definitio exquiratur, enodandum est, ad quales res attributum „pulchri" vere pertineat, quaenam sint signa omnibus objectis, quae pulchra vocantur, communia et quo modo differant ab iis, quibus idea pulchri convenit minime. His notis conjunctis, emerget notio pulchri.[4]) Atqui facile erit primo adspectu cognoscere, vocem pulchri adhiberi posse in rebus quae cadunt sub externos sensus, et quae mere ad intellectum referuntur: in naturae et artis operibus atque in dictis factisque hominum, unde nascitur pulchrum physicum, intellectuale, morale. Quae tandem sunt illa signa omni pulchro ex omnium consensu communia rata et immutabilia? Quaecumque sunt species, quibus manifestatur pulchrum, examine instituto, in iis semper et ubique reperimus ordinem quendam et musicum quasi concentum, habitum

[4]) Clariss. philosophus Cousin in libro cui titulus „Du Vrai, du Beau et du Bien" (Paris VI. éd. 1857) non aliam comprobat rationem i. e. methodum, quam quae sequitur analysin psychologicam. Quid ad haec dicemus? Distinctio inter pulchrum in animo et pulchrum in rebus videtur nobis parum idonea esse ac paene inutilis, quoniam pulchri idea subjectiva est pulchrum objectivum intellectus, quo id percipitur. Ordo psychologicus plane congruit ontologico. —

proprium, qualitatem sive cohaerentiam singularem, simulacrum alicujus exemplaris veri, constantis, aeterni. Omnia haec momenta liceat designare nomine communi *conformationis vel similitudinis divinae sive ideae*.[5]) Haec autem idea per se et in se substantialitatem habens *conspiciatur* necesse est *imagine*, cujus singulae partes tam inter se plenam praestent consensionem quam omnes conferant ad totum, unde unitas et ideae et speciei perfecta atque absoluta oriatur.[6]) Pulchrum igitur non est idea ut objectum intelligibile, sed est idea per rem sensibilem modo undecumque illi conveniente manifestata, ita ut homo eam intuitus contemplatusque voluptate quadam diviniori delectetur. Ergo *definimus Pulchrum eam ideae manifestationem, quae specie ex omnibus numeris absoluta eique plane congrua efficitur atque visa placet* In forma sive specie conspicimus ideam corpore indutam, in idea formam quasi animatam atque spirantem.

---

5) Quin adjiciam facere non possum ea quae leguntur apud Victorem Granella in „Wahrheit, Schönheit und Liebe“ (Leipzig 1867) p. 93: „Jn jedem echten Kunstwerk, in jeder wahrhaft schoenen Dichtung muss das Endliche vom Unendlichen getragen, die Localfarbe von einer allgemeinen Grundfarbe abgetoent, die *Realität des Sonderbildes von einem höheren idealen Lebensbilde* durchleuchtet sein. Wer nicht in dieser Weise künstlerisch zu schaffen und zu bilden versteht, der kann uns vielleicht durch technische Virtuosität in der Behandlung vorübergehend ergötzen, aber entzücken kann er uns nicht.“ — Jdem certe significat Tullius Orat. 2: „Neque enim ille artifex (Phidias) quum faceret Jovis formam, contemplabatur aliquem a quo similitudinem duceret; sed ipsius in mente insidebat species pulchritudinis eximia quaedam, quam intuens, in eaque defixus, ad illius similitudinem artem et manum dirigebat.“ — Plotin. Enn. V., 8. p. 543 E (Creuz.): Ἔπειτα ὁ Φειδίας τὸν Δία πρὸς οὐδὲν αἰσθητὸν ποιήσας, ἀλλὰ λαβὼν οἷος ἂν γένοιτο, εἰ ἡμῖν ὁ Ζεὺς δι' ὀμμάτων ἐθέλοι φανῆναι —

6) Jllustris Cousin in libro laudato egregie docet p. 178: „Le Beau est une perception prompte et sûre de la juste proportion dans laquelle l'idéal et le naturel, la forme et la pensée se doivent unir. Cette union est la perfection de l' art: les chefs-d'oeuvre sont à ce prix.“ — Dr. Carolus Lemcke in „Populaere Aesthetik“ (Leipzig 1865) recte disserit p. 40: „Das Schöne ist eine Form der Erscheinung. Es ist nicht ein Ding selbst, sondern eine Eigenschaft desselben, die wir mit den edleren Sinnen wahrnehmen. Schön ist die Form der Erscheinung, die den uns angeborenen Gesetzen unseres Empfindungslebens entspricht; es ist also eine Gesetzmässigkeit, die mit der inneren Gesetzmässigkeit unseres Jchs harmonirt.“ —

Fiet autem clarior atque perspectior nostra sententia, quum consideraverimus animos. Qui vero est animus, quem dicimus pulchrum? Ille sine controversia, qualem nobilis indoles reddit, ille generosus justitiae tenax, constans sub inconstante fortuna et sub inaequali semper aequalis,[7]) ut paucis expediam, ille Deo simillimus, bonitatem et beneficientiam exhibens atque potentiam, h. e. imaginem quam contemplans delectaris et amas, faciem tunc corporis non adspiciens, quae forte non sit formosa, sed tota corporis forma posthabita, intimam pulchritudinem sequens. Contra turpis designabitur animus ille, qui vitiis deditus ac libidinibus, a se ipso dissidens secumque discordans nullam gestare partem liquidae voluptatis potest, qui refertus aut odio aut invidia, aut iracundia aut mendacio ab suae originis et seminis veri constantia deflectit, h. e. qui caret similitudine divina.[8])

Transgressu jam ad corpora facto, non hic ego vulgarem illam pulchritudinem intelligo, sed sacram plenamque mysterii formam loquor, coeleste Superûm munus. Quis non pulchram censeat frontem illam explicatam et porrectam hominum, elatam tranquillam, et serenam, quae praefert laetitiam, gravitatem, dignitatem, sedatum animum? Quis est, quem non suaviter permulceant oculi aperti atque integri, testes et indices animi humanitatis ac benevolentiae liberalitatisque plenissimi? Cui non placebunt labra dulce ridentia, ubi fulgent bonitatis et pudoris flammulae? Nimirum in humano vultu non frons aut oculi aut genae aut labra per se pulchritudinem conficiunt[9]), sed ubi omnes partes apte

---

[7]) „. . . in animo opinionum judiciorumque aequabilitas et constantia cum firmitate quadam et stabilitate virtutem subsequens aut virtutis vim continens pulchritudo vocatur.“ Cic. Tuscul. IV., 13. —

[8]) Plato „de Repub. lib. IV., p. 444 E: „Ἀρετὴ μὲν ἄρα, ὡς ἔοικεν, ὑγίειά τις ἂν εἴη καὶ κάλλος καί εὐεξία ψυχῆς, κακία δὲ νόσος τε καὶ αἶσχος καὶ ἀσθένεια.“ — Jdem Protag. p. 349 E: „Φέρε δὴ, τὴν ἀρετὴν καλόν τι φῂς εἶναι, καὶ ὡς καλοῦ ὄντος σὺ διδάσκαλον σαυτὸν παρέχεις; κάλλιστον μὲν οὖν, ἔφη, εἰ μὴ μαίνομαί γε.“ — Lemcke, l. l. p. 74: „Ungesetzmässigkeit, Gegensatz gegen die Grundbedingungen, die für den Menschen und seine ästhetischen Anschauungen gegeben sind, bildet das Wesen des Hässlichen. Statt eines Reiches der Harmonie ist es ein Reich des Widerspruchs, sei es, dass derselbe in und an den Dingen zu Tage tritt oder zwischen dem Betrachtenden und den Objecten waltet.“ —

[9]) Vir elegantis judicii Mauritius Carriere in libro qui inscribitur „Die Jdee des Schönen und ihre Verwirklichung durch Natur, Geist und Kunst“ (Leipz. 1859)

inter se dispositae, suavitate coloris perfusae, lepore quodam delibutae consentiunt, tunc illa species et figura existit, quae movet et delectat.[10]) Verumenimvero ille vultus, qui pugnat in otio, vincit in pace, triumphat oculis, tacendo tonat, adspectu fulgurat, et uno non dicam impetu, sed conspectu pectus invadit obsidet et expugnat: praebebit exactam omnium concinnitatem partium, essentiam unicam in varietate, quae efflorescentem vim spirat. „Quam similitudinem — ait Cicero de off. I., 4. — natura ratioque ab oculis ad animum transferens multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conservandam putat cavetque ne quid indecore effeminateque faciat, tum in omnibus et opinionibus et factis, ne quid libidinose aut faciat aut cogitet. Quibus ex rebus conflatur et efficitur forma quidem ipsa".[11])

Quare merito atque optimo jure pervincit sententia quae fert, in asylis verae pietatis atque obedientiae inveniri vultus longe ante alios specie ac pulchritudine insignes. Nam divina facientes atque dicentes divineque viventes, cordibus puris atque pace justitiae suam virtutem ad Dei gloriam referentes, cujus gratia tales sunt, eximiam speciem non possunt non consequi. Si quis autem turpitudinem teterrimam videre cupiat, in carceres abeat et in vincula, ubi scelus et maleficium habitat, ut pictor ingeniosus et sollers in arte Lionardo da Vinci torvum Judae vultum picturus in tabula, quae repraesentat Coenam Domini, per totum annum custodias publicas percurrisse traditur.[12])

I., p. 65. haec habet: Das Schöne ist ein Organisches, es besteht in der Durchdringung des Innern und Aeussern, des geistig Einen und des sinnlich Mannigfaltigen, die Idee des Ganzen spricht sich nicht bloss in dem Zusammenstimmen der einzelnen Theile, sondern in jedem Theile als solchem aus, jeder bedingt folgerichtig die Natur aller andern."

[10]) „Pulchritudo corporis apta compositione membrorum movet et delectat hoc ipso, quod inter se partes omnes cum quodam lepore consentiunt." Cicero, de off. I., 27. cf. Tusc. I. 28. —

[11]) „C'est alors que l'homme, guidé par l'amour, prend son pinceau et saisit sa lyre; rival de la nature, il veut imiter, peindre, chanter, faire revivre de mille façons diverses la beauté qui le ravit; prenant ensuite un plus noble essor, il s'efforce de rendre sensibles de plus divines beautés qui échappent presqu'aux regards, ou du moins qui ne se dévoilent que par l'action, que par la vie intellectuelle qu'elles donnent aux beautés corporelles." Comte de Ségur „Galerie morale et politique" III., p. 99.

[12]) Iustissime disserit V. Granella l. l. p. 151: „Wir dürfen die wahre Schön-

Atque percommodum erit ostendere, toto animali genere, licet mente careat, quo perfectior ideae et speciei unitas omnium membrorum congruentia aequalitateque efficiatur, eo vividiorem elucere pulchritudinem. Aquilam et leonem, qui inter animantia principatum tenent, pulchros consuevimus dicere, quoniam alterius oculorum acies perspicax, nobilitas quaedam animi, superbia volatus, alterius dignitas incessus, magni et lucentes oculi, animosi spiritus vigor, effusae jubae, major pectoris firmitas denuntiant robur. Huic autem robori quum omnium corporis partium commoditas et aequitas respondeat, illa animalia mens considerans censebit pulchra.[13])

At vero serpens habetur turpis, quia oculi, linguae et corporis motus deformes produnt fraudem, fallacem imitationem simulationem,[14]) quas adspicere horrescimus.

Arbores et flores et semina ab agricultura sata non eandem praestant pulchritudinem, quam quae motu a se ipso proficiscente minime privata sunt. Plantae enim quum solummodo motus executionem habeant, animalia autem insuper ex se determinationem

---

heit nicht von der Heiligkeit trennen, das Schöne nicht vom Guten, wie es so häufig geschieht. Wenn zuweilen in erhöhten feierlichen Momenten die verschlossene Schönheit aus dem Antlitze einer edlen Seele erblüht, aus dem leuchtenden Auge hervorstrahlt, so ist diese verborgene Schönheit eben die stille Geistesblüthe innerer Reinheit und Güte, welche, wenn diese fehlen, allen Zauber verlieren würde." —

Ed. Müller „Geschichte der Theorie der Kunst bei den Alten" I., p. 66. recte disputat: „Alle Gerechten sind schön und Alles, was sie thun und leiden, eben um des inwohnenden Characters willen, wenn sie auch noch so hässlich von Gestalt sein sollten." — „Die edle wahre Einfalt des Wesens (εὐήθεια) ist verwandt mit dem Harmonischen (εὐαρμοστία), Wohlanständigen (εὐσχημοσύνη) und Eurythmischen (εὐρυθμία), die Bösartigkeit (κακοήθεια) mit den entgegengesetzten Eigenschaften." —

[13]) „Le fond de la vraie beauté comme de la vraie vertu, comme du vrai génie est la force; sur cette force, répandez un rayon du ciel, l'élégance, la grâce, la délicatesse; voilà la beauté " Cousin, „Vie de Madame de Longueville" I, p. 3. —

[14]) Das Hässliche ist die Verleugnung oder der heuchlerische Schein der Wahrheit, es ist die Verzerrung und Zerstörung der vollen Lebensblüte, und findet darum seinen Höhepunkt dort wo die Elemente, die im Schönen zusammklingen, feindselig sich scheiden, Geist und Natur sich trennen." Carriere l. l. I., p. 137; ibid. p. 140—141. — Cff. H. Lasserre „Les Serpents", et Taparelli „Le ragioni del Bello" p. 85. — A. de Margerie, „L'esthétique et la morale" (leçon d'ouverture, prononcée en 1860). —

ad agendum, non queunt eadem ratione repraesentare perfectionem substantiae spiritualis: id quod vir Gallus dixit aptissimis verbis hisce: „Plus une chose ressemble à une âme, et plus une âme ressemble à Dieu, plus tout cela est Beau“.[15])

3.

Exsistit autem hoc loco quaestio perdifficilis quae, licet multum ac diu de hac re a viris iisque subtilissimis disceptaretur, nondum adhuc ad liquidum confessumque perduci potuit. Ex tribus pulchro scilicet et bono et vero in unum idemque totum conjunctis maximam absolutissimamque conflari harmoniam, nemo est quin existimet. Qua autem cognatione cohaereant et qua ratione differant, illud eruditius quaeritur. Ut medeamur difficultatibus, quibus res obstructa est, a constituenda „veri“ notione ordimur orationem.

Quid sit verum. Secundum scholam, cujus princeps Doctor Angelicus S. Thomas Aquinas praedicatur, Veritas est adaequatio rei et intellectus[16]) sive „Per conformationem intellectus et rei veritas definitur. [17])

Quaecumque sunt, ea vera sunt secundum veritatem metaphysicam, quoad respondent archetypis seu prototypis praeexistentibus in Deo, antequam creata erant. Vera autem sunt secundum veritatem logicam, quoad apta sunt ad procreandas in animo ideas vel imagines sibi ipsis adaequatas. [18]) His praemissis, colligere licet, veritatem et rem (ens) primitus idem esse. Haec etiam

---

[15]) Jos. Joubert „Recueil des Pensées“. Paris 1838. Similiter V. Granella l. c. p. 155—156: „Wie ein Gesicht schön wird dadurch, dass es die Seele, so die Welt, dass sie Gott durchscheinen lässt. Die wahre Schönheit ist also ihrer Natur nach etwas Geistiges, etwas Unendliches.“ — Commodissime Ludovicus Eckardt in Vorschule der Aesthetik“ (Karlsruhe 1864) I., p. 92: „Je mehr sich in den geschaffenen Gestalten Geist und Natur wieder durchdringen, diese in jenen eingetaucht wird, um das werden sie gottähnlicher, um das schöner.“ — Cf. P. A. Gratry: „De la Connaissance de l'âme“ I., p. 221. — Cf. S. Aug. „Confess. l. X. c. 34 No. 53 p. 147. —

[16]) Summa c. Gent. lib. 1., c. 49. —

[17]) Summa Theol. p. I., qu. 16, art. 2. —

[18]) Praeclare Jos. Kleutgen. „Gleichwie in allen Dingen ein Trieb ist, ihr Sein nicht nur zu bewahren, sondern auch auszubreiten und fortzupflanzen, also ist

subjicienda est notio verbis Bossuetii: „Le vrai, c'est ce qui est; le faux, c'est ce qui n'est pas".[19])

Verum igitur habeo id quod dicimus esse (Sein), quatenus ad facultatem intellectivam sive cognoscitivam refertur,[20]) vel potius: Verum est id quod est, quatenus intellectui divino adaequatur.

Quid sit bonum. Ut verum est objectum intellectus, ita bonum objectum voluntatis est. Res quaecumque sunt, bonae sunt[21]) (in quantum sunt), quoniam respondent voluntati divinae ideoque id sunt, ad quod tamquam ad terminum tendit facultas appetitiva. Bonum igitur habeo id quod est, quatenus voluntati divinae adaequatur.

Quum ergo Bonum ad voluntatem referatur, Verum ad intellectum, jam quaeritur num sit facultas distincta, ad quam Pulchrum pertineat.

Quantum equidem judicare possum, pulchrum etiam ad sensum referendum est. Neque fieri potest, ut quemquam fugiat hoc momentum, quando meminerit, pulchro saepe validissimum animum

---

auch in allen ein Streben und Vermögen, sich zu offenbaren, durch diese Offenbarung in andern zu sein, und so ihr ideales Sein fortzupflanzen. Jn diesem Vermögen, sich dem Geist zu offenbaren, kann man daher auch einen Grund finden, warum alle Dinge nicht nur sind, sondern auch wahr sind. Die Wahrheit wird nämlich von dem Seienden wegen seines Verhältnisses zur Erkenntnisskraft ausgesagt; es sind also die Dinge wahr, weil sie in ihrer Wirklichkeit den Ideen des schöpferischen Geistes entsprechen, sie sind aber auch wahr, weil geeignet, im geschaffenen menschlichen Geist eine Erkenntniss von sich zu erzeugen." Philosophie der Vorzeit, I., p. 33. —

[19]) „De la Connaissance de Dieu et de soi-même cap. I., §. XVI. — Fénelon inter alia multa de hac re scripsit: „L'être et la vérité sont la même chose, en sorte qu'une chose n'est qu'autant qu'elle est vraie, et qu'elle n'est vraie qu'autant qu'elle est." De l'existence De Dieu, part. II., No. 12. —

[20]) Hugonin „Ontologie" docet: „La vérité est l'être perçu; elle en possède toute la plénitude et toute la perfection; la vérité est l'image de l'être; il y a entre elle et l'être convenance parfaite, similitude parfaite et égalité parfaite; toute la réalité de l'être est dans la vérité, la vérité est son image consubstantielle." — Cf. Dr. Car. Müllendorff „Du Beau dans ses rapports avec le Vrai et le Bien." Luxembourg 1864. —

[21]) Liberatore Institut. phil. I.: „Notio boni reponenda videtur in ipsa entitate rei, quatenus expletiva est vel terminativa appetitionis." — „Bonitas nascitur ex congruentia rei quae dicitur bona, cum subjecto appetitione praedito. Unde, intimius perspecta, bonitas proprie in convenientia quadem consistit, ratione cujus res habet quod sit appetibilis." —

moveri quasi torrente,[22]) qui subvertat et conquasset homines usque ad viscera animae.[23])

Relinquitur, ut illustrem et similitudinem, quam pulchrum praebet cum vero et bono, et differentiam quae inter illa intercedit. Pulchrum est ens, quo idea convenienter ac perfecte expressa est. Pulchrum est simile veri, quia rationem veri formalem inclusam tenet; sed pulchrum etiam a vero differt, quatenus ad efficiendum verum non requiritur ut ratio formalis convenienti forma exprimatur. *Τὸ καλὸν* est *ἀγαθὸν* (praed.), quia omne pulchrum ut idea sub forma undique congrua manifestatio reale aliquid et appetibile repraesentat. Re sunt idem, sed differunt ratione. Nobis igitur definietur Pulchrum, ut jam formalis momenti rationem habeamus, ideae (in qua est veritas et bonitas) numerosa viva aptaque repraesentatio. [24])

4.

Postquam demonstratum est, pulchrum ad facultatem cognoscitivam simul et appetitivam spectare, consectarium est omnem veram pulchritudinem niti „intelligibili [25]) et appetibili sive ama-

---

[22]) Quae prae ceteris egregie probant haec Schilleri verba ex literis ad Goetheum missis: „Jch verstehe Sie nun ganz, wenn Sie sagten, dass es eigentlich das Schöne, Wahre sei, was Sie oft bis zu Thränen rühren könne.“ — Huc spectat etiam Goethei dictum de vera poësi: „Es (das Schöne) kündigt sich dadurch an, dass es als ein weltliches Evangelium durch innere Heiterkeit, durch äusseres Behagen uns von den irdischen Lasten zu befreien weiss, die auf uns ruhen, dass es uns in höhere Regionen erhebt und die Jrrgänge des Lebens zurücklässt.“ — Cf. Carriere l. l. —

[23]) Baldinotti „de recta humanae mentis institutione“ II., p. 91 scite docet: „Ad pulchri notionem expoliendam nescio an non conferre quidquam possit, duplex ejusdem etymologia a Philopono (De opificio lib. VII. cap. 6.) tradita, quarum prior est ut τὸ καλὸν, pulchrum, ἀπὸ τοῦ καλεῖν, ab eo quod est ad se vocare, ductum existimetur, altero vero ut dictum ἀπὸ τοῦ κηλεῖν καὶ θέλειν, ab eo quod est allicere ac pertrahere, censeatur. — Cf. S. Dionys. Areop. „De divinis nominibus“ (editio Antwerp. 1634) cap. IV. §. 7, pp. 559 et 560. —

[24]) Sit venia verbo, quod M. Fabius Quintilianus, elegantissimus ille ac tersissimus latine scribendi praeceptor non dubitavit usurpare. —

[25]) Gratry l. l. I., p. 356: „Les créatures sont intelligibiles, cela veut dire qu'elles expriment Dieu, et les esprits sont intelligents, cela veut dire qu'ils comprennent Dieu.“ — Aristot. Metaph. IV. 15. p. 1021 (Bekk.) habet: „Το διανοητὸν σημαίνει ὅτ' ἐστὶν αὐτοῦ διάνοια, οὐκ ἔστι δ' ἡ διάνοια πρὸς τοῦτο οὗ ἔστι διάνοια.“ —

bili".[26]) Sed necesse est, haec elementa luculentius etiam nobis perspiciantur.

Explanavimus supra, pulchrum eam esse formam, in qua quasi spirare videatur atque expressum sit vestigium quoddam et simulacrum divinum, hoc est intelligibile. Quamobrem in ipso rerum ordine ibi plurimum pulchritudinis est, ubi plurimum est mentis, unde prima pulchritudo est prima intelligentiae plenitudo. Fulget enim pulchritudinis splendor ex intellectu divino in intellectum animae caput, quemadmodum lux a Sole semper in stellam, subinde in virtutem animae rationalem sicut in lunam, quatenus ad superiora convertitur. Proinde hujus speciei cognitione animus incenditur amore per ejusque contemplationem ad limpidissimae voluptatis fructum perducitur,[27]) hoc est appetibile sive amabile. Ergo inter pulchrum verum et bonum arctissima intercedit conjunctio et vinculum. Verum in bonitate sua, bonum in veritate sua designabimus pulchrum, ea nempe conditione ut congruenti forma conspiciantur. Ut absit intelligibile, frustra pulchritudinem indagabis.[28]) Nihil in objecto reperietur nisi vulgaris voluptas, qualis est tactionum et odorationum et saporum, quae, etiamsi nos ceperunt, diutius non delectant. Nam animus res vulgares atque vanas contemplans humi defigitur et ab admiratione absolutae veritatis et bonitatis, qualis unice in divinioribus rebus cer-

---

[26]) „Nous sommes, nous entendons nous voulons . . . entendre et aimer sont choses distinctes, mais tellement inséparables qu'il il n'y a point de connaissance sans quelque volonté . . . Ces trois choses: être, connaître et vouloir font une seule âme qui ne pourrait ni être sans être connue, ni être connue sans être aimée, ni distraire de soi-même une de ces trois choses, sans se perdre toute entière." Bossuet, VI ième élévation à Dieu. — Cf. S. Dionys. Areop. l. c. cap. IV §. 7, p. 558, et vide quae in hunc locum continent Scholia Maximi p. 651 sqq., paraphrasis Pachymerae et Annott. Cordieri p 592.

[27]) „Ἡδὺ φύσει (τὸ καλὸν) καὶ ἐπιθυμητὸν δι' αὐτὸ ἀεί, καὶ οὐδέποτε ἀμβλυνόμενον κόρῳ." Zonaras (c. Phot. ed. Tittmann) T. II, p. 1159. —

[28]) Dr. Kuhn „Die Jdee des Schönen in ihrer Entwickelung von den Alten bis auf unsere Tage": „Die Jdeen sind der Geist, welchen er (der Künster) seinen Gebilden einhaucht, sind der Adel, ohne den er sich nie über die Alltäglichkeit und Plattheit erhebt. Sie sind die wahre Weihe der Kunst, das Siegel der Beglaubigung des erhabenen Berufes des Künstlers, auch ein Prophet der Gottheit zu sein." — L'idéal est le vrai absolu; le réel n'est que le vrai relatif accidentel. L'idéal qui transfigure le réel, est une fleur du ciel greffée sur une tige de la terre. Gjertz „Les sources de l'art". —

nitur et animos mire capit tenet demulcet, mens avocatur. Gustum enim, odoratum tactumque, quantumvis sagaces sint, omnino quasi sejunctos esse a nobili pulchri venustique cognitione, dilucide ostendit vir André Gallus in „Essai sur le Beau“ I. p. 9. —

Quin etiam suavissimi vocis soni, concentus gratissimi tum demum pulchri fiunt, quum circa rationes quasdam intelligibiles, id est, circa intelligibilem numerum et harmoniam versantur.[29]) Sicut formae enim visibilis pulchritudo ab ideali et seminaria ipsius ratione profluit, ita vocis concentusque pulchritudo tum ab ipso spiritu, tum ab harmonica mentis conceptione perficitur. Denique compositio ex consonantia et modulorum numero facta effert appetibile ad mentis altitudinem, quae ex temperata sonorum varietate oblectationem percipit.

Contra artes mathematicae, quarum leges ut verissimas haud dubitamus agnoscere, non facile dicuntur pulchrae, quamdiu humi reptitant et circa terrestria tantum occupantur. Quum vero ab rerum humanarum contemplatione mentes nostras evocant ad spectanda coelestia, ad cursus siderum perpendendos, ad superas sedes noscitandas, hoc est, quum animus commorans hic in terris, inclusus corporis compagi, septus his membris mortalibus et irretitus, evolat ex ipso carcere, seque liber ad occultissimas praestantissimarum rerum naturas contemplandas erigit; quum mente atque oculis homo immensorum illam orbium vastitatem percurrit, signa sideraque, singulas stellas tum errantes tum certis infixas locis et earum infinita miracula intuetur, elucubrans universumque terrarum orbem uno fere adspectu percurrens, remotissimas quasque regiones explorat, et inde Parentis omnium atque Rectoris magnitudinem et sapientiam potentiamque aestimat, ita ut unitas comprehendat varietatem infinitam, tum non cessabimus admirari

[29]) „Αἱ δὲ ἁρμονίαι ἐν ταῖς φωναῖς αἱ τὰς ἀφανεῖς φανερὰς ποιήσασαι (lectionem sequor, quam proposuit Ed. Müllerus in Theor. d. Kunst II. p. 297) καὶ ταύτῃ τὴν ψυχὴν σύνεσιν τοῦ καλοῦ λαβεῖν ἐποίησαν, ἐν ἄλλῳ τὸ αὐτὸ δείξασαι.“ Plot. Enn. I. 6. p. 53. — Jos. Bayer-„Aestetik in Umrissen“ I, p. 320 diserte: „Wie eine jede Kunsterscheinung endlich und unendlich zugleich für Gefühl und Anschauung mit einem Male fassbar, und für den Verstand doch wieder grenzenlos und unergründlich ist: so liegt auch in der musikalischen Bewegung, als dem sinnlichen Abbild einer übersinnlichen Gefühlsbewegung etwas Incommensurables, nur in der schöpferischen Phantasie Gemessenes.“ — Cf. S. August. „De musica“ l. VI. c. 14, No. 44, p. 396a; ibid. c. 13. —

illam artem. Quid? quod intelligibile ad altitudinem quandam evectum semper fit appetibile, ex quibus in unum totum redactis efficitur pulchrum. Nam non sufficit rem, ut censeatur pulchra, nunc esse intelligibilem nunc nos delectare; at potius necesse est, intelligibile cum appetibili plane conjungatur convenientissima manifestatione sive forma harmonica, quae pulchritudinis splendorem effundit. Pulchrum igitur, quatenus est verum et bonum, per se potest sine ullis aut externis adjumentis aut adventitiis illecebris aut artificiosis incitamentis ad se amandum allicere rapere illigare mentem animumque.[30]) —

5.

Restat ut paucis expediamus quid sit quod communiter gustatus dicitur. Penes eum videtur esse pulchri judicium. Est donum quoddam proprium, quod in singulis hominibus pro uniuscujusque cultu atque humanitate, ingenio et naturae genere varietatem praebet et discrepantiam. Quae quum ita se habeant, sine ulla dubitatione confirmaverim, judicium artium studiis eruditi semper et ubique praeferendum esse judicio eorum, qui vel ab omni politiore elegantia abhorrent vel in communi vita et vulgari hominum consuetudine versantur. Etenim si judicium hac in re multitudini imperitae conceditur, fieri non potest, quin artes magis magisque depraventur, quoniam poeta vel artifex, multitudinis plausum quaerens, ejusmodi res finget, quae sensibus blandiantur, non vero, quibus optimi viri elegantisque judicii laetentur. Ne igitur omnis pulchritudo in vulgari utilitate et humiliori jucunditate voluptateque ponatur, vulgus a judicandis rebus ad artem pertinentibus omnino removendum est.[31]) —

[30]) L. Eckardt. l. c. I, p. 93—94: „Hat es Sie beim Anblick des Schönen nie gemahnt, als ob Sie die Gottheit selbst schauen müssten? . . . Haben Sie diesen Hauch der Gottheit, die Gottähnlichkeit der Schönheit nie auf dem Antlitze eines Menschenbruders gelesen? Sahen Sie nicht selbst reizlose Gesichtszüge, wenn Sie nur den innern Bewegungen folgen, plötzlich wie verklärt, wenn von ihnen ein göttlicher Gedanke aufleuchtete?“ — Cf. S. Dionys. Areop. l. l. c. IV. §. 10 p. 562. —

[31]) Cf. Schiller. „Ueber die nothwendigen Gränzen beim Gebrauch schöner Formen“ opp. vol. XII. p. 143—150. ed. Stuttg.-Tüb. 1847.

6.

Jam vero inspiciamus nonnullas definitiones ab aliis expolitas, quo magis perspicua nostra appareat.

Sapientissimo philosophorum principi ac magistro tribui adsolet definitio singularis „Pulchrum splendor veri“. Quamquam haece verba minime Platonis sunt, nisi ea quae leguntur apud Phaedrum p. 250 D. „*κάλλος δὲ τότ' ἦν ἰδεῖν λαμπρὸν*“ . . . in hunc morem interpretaberis: tamen ab eo pulchrum splendor veri ac boni existimatur. Multis enim locis dialogorum in pulchritudine duplex illud momentum (intelligibile et appetibile) aperte agnoscit, ita ut vir illustrissimus Carolus Lévêque recte et splendide locutus sit: „Le Beau idéal dans la doctrine de Platon, c'est Dieu lui-même conçu par la raison dans un pur enthousiasme de l'amour“.[32]) Sed audivisse juvabit etiam Platonis ipsius verba, quibus sententiam suam aperuit luculentissime: *"Ος γὰρ ἂν μέχρι ἐνταῦθα πρὸς τὰ ἐρωτικὰ παιδαγωγηθῇ, θεώμενος ἐφεξῆς τε καὶ ὀρθῶς τὰ καλά, πρὸς τέλος ἤδη ἰὼν τῶν ἐρωτικῶν ἐξαίφνης κατόψεταί τι θαυμασιὸν τὴν φύσιν καλὸν, τοῦτο ἐκεῖνο, οὗ δὴ ἕνεκεν καὶ οἱ ἔμπροσθε πάντες πόνοι ἦσαν, πρῶτον μὲν ἀεὶ ὂν καὶ οὔτε γιγνόμενον οὔτε ἀπολλύμενον, οὔτε αὐξανόμενον οὔτε φθῖνον, ἔπειτα οὐ τῇ μὲν καλὸν, τῇ δ' αἰσχρόν, οὐδὲ τότε μέν, τότε δ' οὔ, οὐδ' ἔνθα μὲν καλὸν, ἔνθα δὲ αἰσχρὸν, οὐδ' αὖ φαντασθήσεται αὐτῷ τὸ καλὸν οἷον πρόσωπόν τι οὐδὲ χεῖρες οὐδέ ἄλλο οὐδὲν ὧν σῶμα μετέχει, οὐδέ τις λόγος οὐδέ τις ἐπιστήμη, οὐδέ που ὂν ἐν ἑτέρῳ τινί, οἷον ἐν ζωῷ ἢ ἐν γῇ ἢ ἐν οὐρανῷ ἢ ἐν τῷ ἄλλῳ, ἀλλὰ αὐτὸ καθ' αὑτὸ μεθ' αὑτοῦ μονοειδὲς ἀεὶ ὄν, τὰ δὲ ἄλλα πάντα καλὰ ἐκείνου μετέχοντα τρόπον τινὰ τοιοῦτον, οἷον γιγνομένων τε τῶν ἄλλων καὶ ἀπολλυμένων μηδὲν ἐκεῖνο μήτε τι πλέον μήτε ἔλαττον γίγνεσθαι, μηδὲ πάσχειν μηδέν· ὅταν δή τις ἀπό τῶνδε διά τὸ ὀρθῶς παιδεραστεῖν ἐπανιὼν ἐκεῖνο τὸ καλὸν ἄρχηται καθορᾶν, σχεδὸν ἄν τι ἅπτοιτο τοῦ τέλους· τοῦτο γὰρ δή ἐστι τὸ ὀρθῶς ἐπὶ τὰ ἐρωτικὰ ἰέναι ἢ ὑπ' ἄλλου ἄγεσθαι, ἀρχόμενον ἀπὸ τῶνδε τῶν καλῶν ἐκείνου*

---

[32]) Charles Lévêque (de l'Jnstitut) „La science du Beau, étudiée dans ses principes, dans ses applications, et dans son histoire“ (ouvrage couronné par l'Académie des sciences morales et politiques) Paris. 1862. tom. II. —

ἕνεκα τοῦ καλοῦ ἀεὶ ἐπανιέναι, ὥσπερ ἐπαναβασμοῖς χρώμενον, ἀπὸ ἑνὸς ἐπὶ δύο καὶ ἀπὸ δυεῖν ἐπὶ πάντα τὰ καλὰ σώματα, καὶ ἀπὸ τῶν καλῶν σωμάτων ἐπὶ τὰ καλὰ ἐπιτηδεύματα, καὶ ἀπὸ τῶν καλῶν ἐπιτηδευμάτων ἐπὶ τὰ καλὰ μαθήματα, ἕστ' ἂν ἀπὸ τῶν μαθημάτων ἐπ' ἐκεῖνο τὸ μάθημα τελευτήσῃ, ὅ ἐστιν οὐκ ἄλλου ἢ αὐτοῦ ἐκείνου τοῦ καλοῦ μάθημα, καὶ γνῷ αὐτὸ τελευτῶν ὃ ἔστι καλόν. Ἐνταῦθα τοῦ βίου . . . εἴπερ που ἄλλοθι, βιωτὸν ἀνθρώπῳ, θεωμένῳ αὐτὸ τὸ καλόν . . . . . ἆρ' οἴει, ἔφη, φαῦλον βίον γίγνεσθαι ἐκεῖσε βλέποντος ἀνθρώπου καὶ ἐκεῖνο ᾧ δεῖ θεωμένου καὶ ξυνόντος αὐτῷ; ἢ οὐκ ἐνθυμεῖ, ἔφη, ὅτι ἐνταῦθα αὐτῷ μοναχοῦ γενήσεται, ὁρῶντι ᾧ ὁρατὸν τὸ καλόν, τίκτειν οὐκ εἴδωλα ἀρετῆς, ἅτε οὐκ εἰδώλου ἐφαπτομένῳ, ἀλλ' ἀληθῆ, ἅτε τοῦ ἀληθοῦς ἐφαπτομένῳ, τεκόντι δὲ ἀρετὴν ἀληθῆ καὶ θρεψαμένῳ ὑπάρχει θεοφιλεῖ γενέσθαι καί, εἴπερ τῳ ἄλλῳ ἀνθρώπων, ἀθανάτῳ ἐκείνῳ; (Sympos. p. 210 E — 212 B. ed. Ast.) Atque intelligibile, secundum Mosen Atticum, in eo situm esse videtur, ut in pulchro omnia moderata commensurataque sint „μετριότης γὰρ καὶ συμμετρία κάλλος δήπου καὶ ἀρετὴν πανταχοῦ ξυμβαίνει γίγνεσθαι." [33]) Amabile vero pulchri in eo consistere arbitratus est, ut moveat et excitet ardens sui desiderium, quod vulgo „Platonis amor", [34]) vocatur. Clarissimis denique verbis ipsa pulchritudo objectum intellectus et amoris declaratur in Phaedro p. 250 D. „νῦν δὲ κάλλος μόνον ταύτην ἔσχε μοῖραν, ὥστ' ἐκφανέστατον εἶναι καὶ ἐρασμιώτατον."

Commoremur paullisper in definitione quae vult pulchrum in „splendore veri" consistere. Patet auctorem hic non intellexisse

---

[33]) Phileb. p. 64. E; item legitur apud Timaeum Locr.: „De anima mundi" p. 103. C: „ἀρχαὶ κάλλεος συμμετρία ποτί τ' αὐτῷ τὰ μερέα καὶ ποτί τὰν ψυχάν." Cf. Phaedr. p. 249. D. —

[34]) Dr. Dietr. Becker „Das sphilos. System Platos in seiner Beziehung zum christl. Dogma" p. 215: „Die platonische Liebe ist nicht jene schmachtende auszehrende Sentimentalität, welche die neuere Romantik dafür ausgeben will, sondern sie ist ein heroisches Verlangen in der edleren besseren Menschennatur, welche aus der Sinnlichkeit, an der leuchtenden Offenbarung aufwärts klimmen will bis dahin, wo die Seele nicht in Leidenschaft verzehrt wird, sondern Ruhe und Glück in der Sphäre des göttlichen Lebens geniessen darf." — Ed. Müller „Geschichte der Theorie der Kunst" II. p. 89: „Platonische Liebe, eine Name, mit dem man zu allen Zeiten das Zarteste und Tiefste, was nur gedacht und gefühlt werden kann, bezeichnet hat. Jn der That, in diesem einen Worte ist die ganze Macht Platonischer Lehre enthalten." —

veritatem logicam, sed veritatem metaphysicam, i. e. congruentiam rei cum idea. Dubium esse non potest, quin quo magis et clarius primariae refert imaginem ideae, eo res sit pulchrior. Quae quum ita sint, definitio de qua sermo, est parum distincta existimanda. Nam archetypae sive primariae ideae, nisi eadem imitantur ratione Deum (ubi omnis pulchritudinis origo et fons quaerendus est), non aequaliter pulchrae apparere queunt. At enim vero recordandum est hic illud, de quo supra exposuimus, voce „verum" significari posse „essentiam intelligibilem", qua exemplar mundi intelligibilis perfectissimum, h. e., ad Dei imitationem quam simillimum reddatur. Pinge ita esse, vox „splendor" sibi volet „essentia maxime intelligibilis". Quibus lustratis, refert cognoscere, quonam in gradu sive quonam pacto verum fiat pulchrum. Ostendimus pulchro arctissimam cum vero atque bono intercedere necessitudinem; porro etiam ostendimus (ut putamus) verum et bonum, ut sibi pulchritudinis nomen vindicent, acerrimum sui desiderium et amorem in aliorum animis excitet, incendat, alat confirmet, prorsus necesse esse. Quod ipsum quomodo fieri possit, in superioribus illustrare conatus sum. Hanc igitur sententiam si divinus philosophus voci „verum" subjici voluerit, tum definitio, quam fertur expolivisse, a nostra nullo modo videtur differre. Id quod cuilibet rite investiganti sine dubio comprobatur. —

Quae ubi consideravimus, transgrediamur ad Aristotelem. Difficillimum erit in scriptis hujus philosophi definitionem pulchri invenire. Sed legimus in Rhetor I. c. 9. „καλὸν ἔστιν, ὃ ἂν ἀγαθὸν ὂν ἡδὺ ᾖ, ὅτι ἀγαθόν". Quae quidem verba digna sunt diligenti animadversione. Collocat Aristoteles bonum in relatione entis ad facultatem appetitivam, quae (ut cum ipso philosopho loquar) ἀεὶ ἐν πράξει est.[35]) Contra Platoni visa est vera hominis felicitas placidissima illa quies et transquillitas, quae oritur ex intuitu ideae boni, bonum constituere.[36]) At quamquam alter posuit bonum in κινητοῖς, alter in ἀκινήτοις, de re tamen et boni natura sentiunt idem. Quod quidem profecto negari non poterit. Nam secundum Platonis sententiam idea boni nihil aliud est quam species summae perfectionis, ad quam studia atque consilia denique

---

[35]) Metaph. XIII, 3. p. 1078; ibid. XIII, 1. p. 31. —

[36]) De republ. VII, p. 505. —

omnia dirigi fas est.[37]) Huic vero opinioni Aristoteles neutiquam adversatur, quum in bono collocat omnis felicitatis culmen et fastigium, quam homines consectari debent.[38]) Hoc igitur tenentes facilius intelligemus, philosophos de bono easdem ferme habere sententias. Sed his nunc missis, cognoscamus, quomodo Aristoteles „intelligibile“, quod ad omnem pulchritudinem necessario requiri nos demonstrasse putamus, agnoverit. Quod momentum philosophum probavisse, patet ex vocabulis „*τάξις καὶ συμμετρία καὶ τὸ ὡρισμένον*“ quae variis locis Metaph. leguntur. Accedit etiam certissima consensio ex loco Poet. c. 7:„*Ἔτι δ' ἐπεὶ τὸ καλὸν . . . συνέστηκεν ἔκ τινων, οὐ μόνον ταῦτα τεταγμένα δεῖ ἔχειν ἀλλὰ καὶ μέγεθος ὑπάρχειν μὴ τὸ τυχόν· τὸ γὰρ καλόν, ἐν μεγέθει καὶ τάξει ἐστί.*“ Dein vero quum idem expetat,[39]) ut ars (musica) comparet non solum communem voluptatem, cujus omnes habent sensum (inest enim in musica naturalis voluptas, quocirca omnibus aetatibus omnibusque moribus sensus ejus amoenus et gratus est) verum etiam animos afflatu quodam divino permoveat et concitet, non est cur dubitemus, quin inambulantis scholae dictator amabile pulchro momentum tribuerit. —

Jam vero exploratis Platonis et Aristotelis de pulchro sententiis, descendamus ad Plotinum tamquam alterum Platonem, praetermittentes et relinquentes quae alii antiquitatis philosophi ante eum de pulchro tradiderunt. Plotinum fundamenta novae pulchri doctrinae jecisse, una est et consentiens vox hominum eruditissimorum. Nec profecto injuria. Nam ab illo repetenda est de „idealitate“ quae dicitur, artis scientia. Sed nostrum est inquirere, Plotinus an de pulchritudine disputans, intelligibilem ejus et amabilem naturam tetigerit, necne. Verumenimvero in ipso quidem opere *περὶ τοῦ καλοῦ* permultis locis momentum intelligibile significavit. Sed sufficiat adscribere locum, qui sane maxime ponderosus videtur ad illustrandam nostram sententiam. Legitur Enn. V., 8. 544. A.: „*Ἔστιν οὖν καὶ ἐν τῇ φύσει λόγος κάλλους ἀρχέτυπος τοῦ ἐν σώματι, τοῦ ἐν τῇ φύσει ὁ ἐν τῇ ψυχῇ καλλίων, παρ' οὗ καὶ ὁ ἐν τῇ φύσει ἐναργέστατός γε μὴν ὁ ἐν*

---

[37]) De Rep. VI, p. 505. D. sqq.; VII, p. 532. B. sqq. —
[38]) Eth. ad Nicom. I, 2; I, 8; ibid. X, 9. —
[39]) Polit. VIII, 5. p. 1340; Eth. VIII, 2. —

σπουδαίᾳ ψυχῇ, καὶ ἤδη προϊὼν κάλλει· κοσμήσας γὰρ τὴν ψυχὴν καὶ φῶς παρασχὼν ἀπὸ φωτὸς μείζονος πρώτως κάλλους ὄντος συλλογίζεσθαι ποιεῖ. [40]) Ex quibus verbis intelligibile solis luce enitet clarius. — Relinquitur ut, teste Plotino, probemus, in pulchro inhaerere appetibile. Inter alia quae id non mediocriter confirmant atque muniunt, afferam egregium locum, ubi auctor declarat, circa pulchrum quodlibet excitari admirationem stuporemque suavem, desiderium quoque, atque amorem concitationemque mentis jucundam. Sunt verba haece Enn. I., 6. 53. E.: „*Ταῦτα γὰρ δεῖ τὰ πάθη γενέσθαι περὶ τὸ ὅ, τι ἂν ᾖ καλὸν, θάμβος καὶ ἔκπληξιν ἡδεῖαν καὶ πόθον, καὶ ἔρωτα, καὶ πτόησιν μεθ' ἡδονῆς.*“ Atque rursus Enn. VI., 7. 723 D.: „*(κάλλος) ποθεινότατον καὶ ἐρασμιώτατον ἂν εἴη, καὶ ὁ ἔρως ἂν ἄμετρος εἴη.*“ Duobus his locis Plotinum amabile pulchri et intelligibile elementum agnovisse, nemini erit obscurum. —

Reliquum jam est, ut examinemus definitiones, quas S. Augustinus et S. Thomas Aquinas de pulchro dederunt. Horum opiniones haud multum inter se differunt. Prior arbitratus est, pulchrum effici proportione, congruentia partium, ordine [41]) ita ut assequatur unitatis qualecumque vestigium, h. e., quasi totum constituat (vide Conf. IV., 13., de vera relig. CXXXVI.). Atque pariter alter affirmat, consonantiam, integritatem et claritatem ac proportionem debitam esse signum pulchritudinis proprium. [42]) Eam enim rem censet pulchram, quae repraesentat imaginem, in qua intellectus noster reperit illum ordinem, quo Deus et artifex comprehendunt varias proprietates, quae conducant ad unitatem ordinis universi; deinde speciem, quam sensus percipiunt, cuique sit proportio cum hoc ordine; imaginem denique, cujus modus et harmonia non abhorret a facultate cognoscitiva. — Primo adspectu Doctores illustrissimi orbis christiani non ita premere videntur

---

[40]) Cf. Enn. II, 9. 216. B et C. —

[41]) De Trinitate l. V, c. 10; De civit. Dei l. XXII, 19. p. 602; De vera relig. No. 35—36; De Genes. lib. imp. c. XVI. No. 57 sq. —

[42]) „Ad pulchritudinem tria requiruntur, primo quidem integritas seu perfectio: quae enim deminuta sunt, hoc ipso turpia sunt; secundo et debita proportio sive consonantia et iterum claritas: unde quae habent colorem nitidum, pulchra esse dicuntur.“ S. th. I, qu. XXXIX, art. 8 in corp. — Cf. ibid. 2, 2dae CLXXX 2 ad 3um. —

pulchri amabile momentum. Sed S. Augustinus evidenter ac nitide id comprobavit plenissimis verbis hisce: „O pulchritudo tam antiqua et tam nova, sero, sero nimis te amavi".[43]) Neque minus alter praeco verbi divini naturam pulchri appetibilem concessit hisce: „pulchra dicuntur quae visa placent: unde pulchrum in debita proportione consistit, quia sensus delectatur in rebus bene proportionatis, sicut in sibi similibus. Nam et sensus ratio quaedam est et omnis virtus cognoscitiva" ... [44]) Oculis igitur percipimus et cernimus intelligibile, atque vox „placere" involvit momentum amabile quod saepe commemoravimus.[45])

Quorum virorum placitis consonans Leibnitius docet, pulchrum in perfectione consistere rei, quae cognita nos alliciat et delectet. Alius vir insignis, Thomas Reid Anglus, prorsus cum nostra sententia consentit ita scribens: „La Beauté produit toujours en nous une émotion agréable et la croyance à une perfection."[46])

Ex iis quae hactenus vidimus plane constat, probatissimos auctores non re, sed verbis tantum, si qui dissenserint, a nobis dissentire. Jam venimus ad philosophos aevi quod dicitur recentioris. Sed quoniam non est nostra provincia, omnes judicare rationes sententias et disciplinas, quae de pulchro per saeculum XVIII. a philosophis Germaniae, Galliae, Angliae, Belgii non modo fundatae, verum etiam exstructae fuerunt,[47]) liceat eas omittere usque ad Regiomontanum philosophum, qui novam quandam aestheticae artis formulam composuit. In libro cujus titulus est „Kritik der aesthetischen Urtheilskraft" hoc legimus: Schön ist das was ohne alles äussere Interesse „gefällt". Quae sententia sane ad pulchri vim et naturam cognoscendam longe videtur gravissima. Hac enim definitione Kantius ille amplissimus avellit quodammodo

---

[43]) Conf. lib. IV, 13. 14. — Conf. ibid. l. X, c. 27 et 38.

[44]) S. th. I, qu. V, art. 4 ad 1. —

[45]) SS. Augustini et Thomae Aqu. ex disciplina profecti eandem ferme viam persecuti sunt viri illustres André (Essai sur le Beau); Hutcheson (An inquiry into the original of our ideas of beauty and virtue); Cousin (Du Vrai, Du Beau et Du Bien) aliique nomine et ingenio praeclari. —

[46]) „Essai sur le goût" (trad. de l'Anglais par Jouffroy).

[47]) In Roberti Zimmermann „Geschichte der Aesthetik als philosophischer Wissenschaft" (Wien 1858) satis et copiose et eleganter de pluribus generibus dissentientium philosophorum disputatur p 175—375. —

pulchrum e manibus Sensualismi (cujus assectatores exstant Angli Home, Hogarth, Burke) et Intellectualismi (quem secuti sunt Shaftesbury Hutcheson et complures alii). At quamquam callidis argumentis probavit, jucundum, alicui rei aptum et commodum non posse haberi dicique pulchrum, neque id contineri utili et innoxia voluptate; ipsius tamen pulchritudinis naturam nondum patefecit. Nam posteaquam studiose non minus quam ingeniose demonstravit, pulchrum minime ad utilitatem referendum esse neque in innocente voluptate nobis per auditum atque visum praebita et molestia vacua collocandum: ipse incidit in vitium docens: „Schönheit ist Form der Zweckmässigkeit eines Gegenstandes, sofern sie ohne Vorstellung eines Zweckes an ihm wahrgenommen wird“ vitium quod paullo ante acriter perstrinxerat. Quare suam disserendi rationem rursus incertam scriptor reddidit atque controversam.[48]) Porro etiam animadvertendum, non omnia quae delectent animum, hoc ipso pulchra censenda esse. Voluptate nos affici compertum habemus, quando animus re quadam sibi congrua tangitur. Pulchritudo vero, ubicumque occurrit, propriam quandam habeat declarationem earum rerum, quae videntur, necesse est; praeterea autem illecebris ejus admiscentur admiratio et vis quaedam acrior amoremque sui quodammodo ingenerans. Proprium enim pulchritudinis est placendo allicere simul et rapere animos: quoniam idea pulchri ideae in animo quasi insculptae respondet, et undique convenit. Quum autem pulchritudo maxime intellectuale munus existat atque unusquisque homo in se teneat et contueatur ideas suas ab aliorumque discrepantes, secundum quas imagines progignit et temperat: pulchrum ex Kantii sententia qui in „placendo“ potissimum ejus naturam ponit, non recte et accurate definiri, manifestum erit. Nam si ex voluptate sola jucunditateque aestimare pulchrum velis, de hoc ipso in diversas homines sententias discedunt, propterea quod tam varia sunt pro aetate, sexu et moribus hominum ingenia, ut alii aliis delectentur. Rudis, v. c., imperi-

---

[48]) De qua re egregie Zeising „Aesthetische Forschungen“ p. 19—20: „Was Kant sagen wollte, ist richtig; aber in der Art und Weise, wie er es gesagt hat, zeigt sich, dass er sich die gestaltende Jdee immer nur als eine zweckverfolgende . . . zu denken vermochte.“ —

tusque aliam judicandi rationem sequetur, quam perpolitus atque edoctus; itaque evenit, ut alter in mirificam laudem extollat numinum imagines ex humanae naturae legibus formatas, ligno et marmore exsculptas aut ex aere fusas, alter nullo modo moveatur.[49]) Judicem autem in rebus ad Musas spectantibus oportet et ingenio exculto et animo forti esse, ut per se pulchrum dijudicare simulque artificibus multitudinem voluptate permulcentibus repugnare possit. Ex quo apparet, definitionem pulchri a Kantio constitutam admodum debili niti fundamento. —

In perlustrandis definitionibus, quas philosophi Schelling, Schiller, Solger, Hegel, Weisse aliique cum fructu prodiderunt, non diutius morabimur, quum omnia, quae eorum sententiae continent semina ad illustrandam pulchri vim et aperiendam naturam, vir insignis Zeising in libro laudato p. 21—28 prudenter sciteque perpenderit ac verissime judicaverit.[50]) Inter tot, quas aetas nostra tulit, de pulchro sententias, praecipue numeranda est illa, quam Fridericus Vischer proposuit in „Aesthetik oder Wissenschaft des Schönen" I., p. 54: „Das Schöne ist die Jdee in der Form begrenzter Erscheinung. Es ist ein sinnlich Einzelnes, das als reiner Ausdruck der Jdee erscheint, so dass in dieser nichts ist, was nicht erschiene, und nichts sinnlich erscheint, was nicht reiner Ausdruck der Jdee wäre. Quae quamvis eleganter sint dicta, tamen ingenue profiteor me viro eruditissimo accedere non posse. Sed videamus, quid contra definitionem possit dici. Quando jam diligenter examinaveris verborum, quae laudavi extrema, quin invenias non dubito, ea nimium postulare. Nam neque in pictura neque poematis, ut monstrent artem ac dexteritatem summam, aliquid repraesentare licet secundum plenam absolutionem, h. e., ita ut idea ponens tota plena integra exprimatur. Hoc, quippe quod supervacaneum sit, argumentis locupletibus confirmare, opus non puto. Quo posito et concesso, definitione illa oblatam mihi facultatem existimo, ut reprehendam hominem omni liberali doctrina politum, quod l. c. p. 49 incredibili levitate animi conatum cepit ad sanciendum „inter philosophorum praecepta de pulchro et rationem eorum, qui hunc

---

[49]) Cf. Ed. Müller „Geschichte der Th. der Kunst, I, p. 61. —
[50]) Cf. Rob. Zimmermann l. l. —

mundum Deum esse censent, et eorum, qui personalitatem quae vocatur divinam negant, nullum omnino discrimen esse". Ex quo efficitur, ut pulchri idea, qualem vir Vischer intellexit, nihil aliud sit quam mundus corporeus solus. Talem autem sententiam, quae materialem Pantheismum profitetur, fortiter atque audacter spernimus ac respuimus.[51]) —

Definitio, quam perdoctus Zeising proposuit de pulchro l. l. p. 81: „Schön ist dasjenige Object, welches sich in Beziehung auf das ihm als Anderes gegenüberstehende Subject, d. i., in der Form des Ercheinens als ein Vollkommenes darstellt," vitio laborare nobis videtur. Verba enim illa, quantum equidem judicare possum, hoc sibi volunt „pulchrum confici per meram subjecti spectationem," i. e. objectum fieri pulchrum eo, quod spectanti subjecto pulchrum appareat sive videatur. Contra hoc autem ponendum est, artificem, qui opus aliquod condiderit, non posse velle id per spectationem effici pulchrum, sed potius sperarabit opus, quod exhibet, ob pulchritudinem inhaerentem, i. e., ob pulchritudinem in opere spirantem ab omnibus, qui spectant, agnitum iri atque liquidam voluptatem et liberam paraturum esse. —

Vir doctrinae laude praestans Mauritius Carriere in opere laud. I, p. 83, posteaquam enucleate de pulchritudine anquisivit, definit pulchrum „die Jdee, welche ganz in der Erscheinung gegenwärtig, die Erscheinung, welche ganz von der Jdee gebildet und durchleuchtet ist". Vult igitur consistere pulchrum in eo, quod idea cum forma, ingenium cum natura pacem quandam et societatem componat. Videtur autem quasi quidam dualismus spirare in hac definitione; quamobrem sententiae illi non omni ex parte accedimus, quamquam non infitiandum est, Carrierum „radices" (ut ita loquar) pulchri rectissime intellexisse. —

Propius ad nostram sententiam accessit Ludovicus Eckardt, vir judicii intelligentis, pulchrum definiens „die durch eine harmonische Einigung des Geistigen und Sinnlichen vermittelte Erscheinung des Göttlichen". (Vorschule der Aesthetik I, p. 93.) —

---

[51]) Cf. Eckardt. „Die theistische Begründung der Aesthetik im Gegensatze zu der pantheistischen." Jena. Hochhausen 1857. — R. Zimmermann, l. l. p. 734. — Cf. Herm. Lotze „Gesch. d. Aesth. in Deutschl." p. 222—223. —

Ut denique omnino pateat ea, quae exposuimus, consentire cum iis quae optimi scriptores et politi judicii de pulchritudine praecipiunt, etiamsi non semper iisdem verbis utantur, nonnullos ex ipsis locos in medium proferre duximus. Laudari hic imprimis meretur locus apud A. Mollière „Métaphysique de l'art" (Paris 1863), ubi pulchrum dicitur „l'aimant sacré du coeur de l'homme, le nom de tout ce qui plaît à l'homme, le charme et l'enivre, l'idole de toute foi, de toute espérance, de tout amour, la caractéristique universelle et inséparable de tout ce qui est Bon". — Verissimam autem pulchri significationem tradit definiens id „le Vrai essentiel, manifesté sous une forme telle, que son attrait conduise l'homme au Bien: Le Beau idéal, c'est Dieu, et le Beau humain, c'est toujours quelque chose de Dieu. C'est le resplendissement de Dieu sur son oeuvre. Jl faut nécessairement entendre le Beau de tout ce qui, dans la création, passionne à la fois les trois puissances de l'homme.[5]) Le Beau est ce qui fait naître la contemplation pure et non la vision lascive, l'extase pure et non la grossière sensation, l'amour pur enfin, et non la volupté: il est le Vrai-Bon manifesté." —

Jn omni judicio elegantissimus Carolus Lévêque profert in libro „La science du Beau" hanc egregiam atque memorabilem sententiam: „La Beauté qui est puissance, est ordre en même temps, et de ce même regard dont elle a échauffé notre coeur, elle avait d'abord éclairé et elle éclaire encore notre raison. Eveillée et illuminée, la raison reste de moitié dans tout le phénomène. Pendant que l'âme s'abandonne à la joie dont l'emplit la puissance, la raison contemple l'unité, la variété, l'harmonie, la proportion, l'ordre, en un mot, qui circonscrivent cette puissance et l'empêchent de déborder . . . Le plaisir du Beau est complet en même temps qu'il dilate le coeur, la raison l'approuve, et la conscience, loin d'en gémir, s'en réjouit comme d'un progrès de l'âme." Et paullo post: „Lorsque j'analyse le sentiment esthétique sous la double forme qu'il affecte, à savoir la délectation et l'amour, j'y découvre une série de caractères qui sont: la grandeur, l'unité, la variété, l'harmonie, la proportion, l'intensité, la grâce et la convenance. Or ce sont là précisément les caractères que j'ai constatés dans

---

[52]) Le sentiment, l'intelligence et la volonté. —

l'idée du Beau. Mais tous ces caractères se ramènent naturellement à deux: la grandeur vivante et gracieuse, d'une part, c'est-à-dire, la grandeur agissant avec énergie et facilité; — d'autre part, un ensemble de rapports excellents, constants, savoir l'unité, la variété, la convenance, qui, lorsqu'ils sont réunis, constituent ce que la raison appelle d'un seul mot: l'ordre. Enfin le sentiment du Beau est évidemment une puissance de jouir et d'aimer."

Adolphus Zeising probat intelligibile et amabile momentum his verbis:

„Das Rein-Schöne trägt (also) den Stempel der Vollkommenheit an sich selbst, es muss für sich selbst ein Totales sein, und Einheit und Verschiedenheit, die Grundbedingungen der Vollkommenheit, vom Prinzip der Einheit aus in sich vereinigen. Es muss die Kraft besitzen, uns Alles um und neben sich vergessen zu machen, so dass wir uns sammt Allem, was uns sonst noch anziehen und interessiren könnte, in dasselbe versenken.... So versenken wir uns z. B. in die Form einer schönen Menschengestalt, wie sie uns der vatikanische Apoll, die medicaeische Venus bieten. Wir werden gleichsam von den schönen Wellenlinien verschlungen, wie Göthe's „Fischer" vom ewigen Thau des feucht verklärten Himmels, und unser Versinken, Untergehen, Verschwinden wird in trunkener Bewusstlosigkeit und Selbstvergessenheit zur seligsten Empfindung des Göttlichen." (Aesthetische Forschungen p. 131—132). —

Philosophus undecumque praestans Brandis sic loquitur: „Jst nun aber die Schönheit überall, wo das Wahre und Gute in entsprechender Weise zur Ercheinung gelangt, so lässt wohl nur in dieser das Schöne vom Guten und Wahren sich sondern, ohne dass eine von den Jdeen des Guten und Wahren gesonderte Jdee des Schönen nachweislich wäre." (Geschichte der Griechisch-Römischen Philosophie II, p. 427.) —

Marinus de Boylesve „Cursus philosophiae" p. 159: „Pulchrum ergo nihil aliud est, quam veri simul ac boni splendor seu gloria. Quid jam vero mundo universo pulchrius, quippe qui enarrat gloriam Dei? Quid, inquam, homine pulchrius, nisi Deus ipse, qui, sive in operibus, sive in se ipso, sese adeo veritate mirabilem simul et bonitate amabilem exhibet?" —

Doctissimus Carolus Köstlin praecipit „Das Schöne und Gute sind dasselbe, sofern das Gute das Schönste unter dem Schönen ist, sofern erst im Guten die widerspruchfreie Gestaltung (i. e. forma veri) des Seins vollkommen wirklich ist, somit nur was auch gut ist, ganz schön ist. Das Gute wirkt wohlthuend, beruhigend auf den ganzen Menschen, auf die Einbildungskraft, auf das Gefühl, auf den Verstand, weil es gegensatzlos (verum) friedlich, förderlich ist; im Schönen ruhen wir aus, weil es die unendliche Harmonie mit Allem und Jedem, die überall blos erhaltende, fördernde, beglückende Liebe ist." (Aesthetik I, p. 223—224). —

Vir perfecta eruditione Trendelenburg discernens ea quae sensibus placent ab iis quae cum intellectu congruunt, ibi solum declarat pulchrum inveniri, „wo die Befriedigung des Sinnes und die Befriedigung des Begriffs und der Vorstellungen sich begegnen," ita ut „das Schöne im Wahren sich gründe und das Wahre sich in's Schöne kleide, und die freie Empfindung des Guten nicht fehlen darf." (Niobe oder über das Schöne und Erhabene p. 29.) —

Doctus quidam Gallus scribit „La Beauté est le reflet, le rayonnement, la splendeur de l'amour de Dieu, c'est-à-dire de l'union du Vrai et Bien, duquel procède le Beau." (Gjertz No. XI de la première année du „Croisé".) —

„Das Schöne fällt also wirklich seinem eigentlichen Wesen nach mit dem Guten zusammen, kann von ihm nimmer getrennt sein, und jeder wahre ästhetische Genuss, den irgend ein musikalisches Tonstück, ein plastisches Bildwerk, eine geniale Dichtung uns gewährt, ist engelrein, erhebt uns über die gemeine Wirklichkeit, und gibt uns gleichsam die erste Unschuld zurück. Was ist also die Schönheit anderes, als ein Hineinragen des Himmels, der verklärten Jdealwelt in die niedern Sphären dieser befleckten, staubigen Erdenwelt, oder wie Platon sagen würde: „eine ewige Erinnerung an die verlorene Heimat der Seele." — (Victor Granella in „Wahrheit, Schönheit und Liebe" p. 161—162.) —

Denique audiamus G. M. Dursch, qui in „Aesthetik der christlich bildenden Kunst des Mittelalters in Deutschland" nostram pulchri definitionem diserte et plane confirmat his verbis: „Der Begriff des Schönen steht nicht vereinzelt da, sondern in

naturgemässer Verbindung mit dem des Wahren und Guten. Was schön ist, muss zugleich wahr und gut sein." —

Illustris Schelling rectissime: „Wahrheit und Schönheit, so wie Güte sind Eins." cf. integer locus in „Philosophie der Kunst" I. §. 20.

Verum satis hic hactenus pulchritudinis campum rapidioribus *ὥςπερεὶ φάναι* pedibus percurrisse. Etenim examen de orationis pulchritudine instituere, non est nostri propositi. Quibus autem in animo est, in hanc disciplinam incumbere, affatim suppeditabunt, quae ab antiquis et viris nostrae aetatis ea de re egregie edocta sunt.

Jam vide mihi quae nunc expositurus sum

CAPITE II.

De Sublimi in universum.

Diximus in priore parte hujus commentationis, pictori vel poetae, qui aliquid pulchri suo more ficturus sit, speciem seu ideam obversari, secundum quam opus perficiatur. Haec autem idea, nullo artificis labore, aut formae prorsus capax esse aut idea in formam dominari potest. Quum idea manifestatur imagine undique numerosa, efficitur pulchrum; quum autem idea super formam ita praevalet, ut modus ac mensura, quibus uti adsuevimus, ad emetiendum objectum jam non suppeditet, nascitur sublime. Sed cave ne credas, objectum illud ex singulis partibus carere posse commensuum responsu, at potius requiritur, ut objectum sublime, sive opus naturae seu artis proportiones ad summam figurationem servet. Nam quaecumque modo ac mensura omnino privata sunt, longe abest ut ea sublimia censeantur, ut horrorem excitent. Omnis igitur sublimitas, quum modo quodam concinno, proportione partium nitatur, pulchritudinem etiam sequetur. Causa vero, cur pulchrum in sublime abeat vel, ut rectius loquar, adscendat, in eo solum posita esse potest, quod idea objecti infinita major est, quam animus et mens complectatur.[53]) Atqui eo quod idea, qua nititur

[53]) „Erhaben ist alles Geistige, das sich in einem sinnlichen Bilde ausspricht, jedoch so, dass die allgemeine Bedeutung der Idee entschieden überwiegt, und die Einzelwirkung der Erscheinung nach nicht zur ruhigen Entfaltung kommen lässt. Der Gedanke schlägt mit intensiver Macht hervor, drängt den sinnlichen Eindruck des Bildes zurück, und ergreift uns unmittelbar, ehe wir noch zur Ruhe der Be-

objectum, praevalet, fit etiam ut objectum ipsum nobis amplius videatur, quam quod dimetiri possimus.[54]) Ergo Sublime a pulchro proficiscitur, neque tamen ejus cohibetur finibus, turris instar, quae iisdem ac aedes fundamentis superstructa longe tamen eam superat, h. e., Sublime est pulchrum (praed.) cum eo, ut in forma ipsa momentum quantitativum praeponderet majori cum vi quasi prorumpens atque eminens.[55]) Quae quidem sententia propius ad veri similitudinem adducitur verbis, quae apud Carrierum exstant l. l., p. 104: „Das Erhabene tritt nicht als ein Neues zum Schönen, sondern es ist ein Schönes, in welchem eins der Elemente, die in allem Schönen vorhanden sind, mit besonderer Macht sich geltend macht, so dass es als die Hauptsache hervortritt und die andern Bestimmungen, das Formale und Stoffliche, die auch ihm nicht fehlen, mehr vor wie an die Grösse gesetzt und als ihre Begleiter erscheinen.“ Qua re plane confirmatur, in magnis erroribus esse eos, qui credunt, inter pulchrum et sublime nihil communionis esse. Nam sublime si a pulchro alienum esset, motus quos animo et sensibus communiter affert, minime dulces, sed odiosi ac molesti forent. At expertum scimus et eadem erit et multitudinis et peritorum opinio, sublimitate, sive reperiatur in cogitationibus sive in dictis seu in factis hominum seu in operibus et artificiis, animos audientium vel legentium vel spectantium semper percuti et graviter com-

---

trachtung kommen können. Kaum ist hier die Jdee in die sinnliche Erscheinung eingetreten, so scheint sie dieselbe wieder verlassen und in das Reich des reineren Gedankens, der freien Unendlichkeit zurückkehren zu wollen“ J. Bayer, Aesth. II, p. 54. —

[54]) „Die Grösse des Gegenstandes überragt uns, wir selber erscheinen ihm gegenüber verschwindend klein, wir fühlen uns als sinnliche Wesen überwältigt und zu Boden geschlagen, aber wir erheben uns zugleich geistig an der Jdee des Unendlichen, die unserer Seele aufgeht; wie wir sie in uns aufnehmen, empfinden wir uns aufgenommen in sie; dass wir sie denken, ist ja das Siegel unserer Abkunft aus Gott und unserer Beseelung durch ihn.“ Carriere, Aesthetik I, p. 125—126. —

[55]) „So sind Sternweiten, so ist das Meer, der Himmel, Sturm, Wetter und was es Gewaltiges gibt unter dem Himmel und auf Erden, erhaben, wenn wir eine Harmonie darin erkennen. Ein Kanonenschlag, eine Pulverexplosion mit einem Knall können darum, weil sie in sich kein Maass tragen, nie erhaben sein, aber der Knall des Geschützes, der wiederhallt, der Donner, der an den Bergwänden oder in den Wolken rollt, wird erhaben, weil er sein Maass in dem Anrollen und Abnehmen mit sich führt, das unserer menschlichen Stimmanstrengung spottet.“ Lemcke „Pop. Aesth.“ p. 91. —

moveri, non vero iis dolores ac molestias adspergi: „Wir lösen — ait clarissimus Trendelenburg — in der Bewunderung das Gefühl des eigenen Unvermögens oder der Ohnmacht in einer höhern Lust auf, indem wir im Geiste zu der fremden Grösse hinansteigen und sie dadurch für den Augenblick der Vorstellung zu unserer eignen machen.[56]) Moramur ergo intra pulchri regnum, minime vero extra ejus orbem. Stultum mehercule esset, hanc sententiam impugnare, nam „nicht Gegensätze — disputat subtilis artium judex Herder — sind das Erhabene und Schöne, sondern Stamm und Aeste eines Baumes: sein Gipfel ist das erhabenste Schöne.[57]) Hoc disserens tantum abest ut notiones pulchri et sublimis nimium adaequatas affirmem, ut eas plurimum differre contendam. Nam si satis est objectum, ut pulchrum dicatur, repraesentare (perfectione sua objectiva) formam Deo simillimam (i. e. perfectionem divinam), sublimitatis proprium est, ut (per absolutionem suam objectivam) ideam perfectionis divinae non solum exhibeat, verum etiam necessario subjectum quasi cogat, ut longe ultra objecti fines ad ideam perfectionis absolutae sive divinae se tollat.[58]) Qualitas autem, per quam sublime hoc efficit, praecipue consistit in magnitudine, qua omnis snblimitas alia magis alia nititur. Atque hic est aut nusquam, quod quaerimus. Plane congruere nobiscum videtur Zeising l. l. p. 365, ubi legitur: „Mir scheint die Idee des Unendlichen aus dem erhabenen Objecte selbst aufzusteigen und unsere eigene Idee mit sich in's Absolute fortzureissen: denn nur die im schaffenden Weltprinzip praevalirende Idee der Unendlichkeit kann die einzelne Erscheinung, die sich uns unendlich darstellt, über die ihrer Gattung oder dem Einzelnen überhaupt gewohnten Schranken hinausgetrieben haben.“[59]) Omnis natura sublimitatis cognita ex

56) „Niobe oder über das Schöne und Erhabene.“

57) Kalligone.

58) L. Eckardt, Vorschule der Aesthetik, I, p. 98: „Das Schöne versöhnt uns mit der Erde, das Erhabene mahnt uns an einen höheren Beruf. Das Schöne weckt Liebe, das Erhabene erzwingt Ehrfurcht und Anbetung.“ —

59) Rectissime Fridericus Vischer: „Es (das Erhabene) ist ein Zusammentreffen des ebenbürtigen Geistes im Subject mit der unendlichen Jdee im Gegenstande, ein Aufgehen beider in Einem Strom, ein Schwung, als führte uns Sturmwind mit in die Höhe.“ —

iis, quae modo explanavimus, hanc denique sublimis definitionem proponere posse visi sumus: Sublime est ea pulchri manifestatio, cujus amplitudo fugiens intelligentiae vim excitat in animo infiniti ideam.

Quod idem melioribus etiam verbis enuntiatur: Sublime est ea pulchri manifestatio, quae elevando animum deprimit, deprimendo elevat. —

Nunc nihil habeo quod illi explanationi addam, nisi id soli divino numini (quatenus mundus ejus gloriam nuntiat) ex omnium hominum doctissimorum consensu concedi summe perfectam et integram sublimitatem. Quam adspicientes, non est cur miremur, omnes populos excultos atque ineruditos capi et abripi furore quodam divino.[60]) Intimo desiderio et amore tenemur et angimur, precantes ad Deum cum Klopstockio:

„Um Erden wandeln Monde,
Erden um Sonnen,
Und aller Sonnen Heere um eine grosse Sonne:
Vater unser, der Du bist in dem Himmel.“ —
(vide Carr. l. l.)

Jam vero, ut propositum nostrum melius probetur ac perspiciatur, nonnullorum dijudicabimus sententias, qui literis artibusque sibi pepererunt laudem nec minus comparaverunt nostra quaestione tractanda gloriam. Inter veterum auctoritates Longini ab eruditionis copia instructissimi sententiam hic laudabo. Legimus in libello *περὶ ὕψους*“ cap. I. 4. (ed. O. Jahn 1867): „*οὐ γὰρ εἰς πειθὼ τοὺς ἀκροωμένους, ἀλλ' εἰς ἔκστασιν ἄγει τὰ ὑπερφυᾶ· πάντῃ δέ γε σὺν ἐκπλήξει τοῦ πιθανοῦ καὶ τοῦ πρὸς χάριν ἀεὶ κρατεῖ τὸ θαυμάσιον, εἴ γε τὸ μὲν πιθανὸν ὡς τὰ πολλὰ ἐφ' ἡμῖν,*

60) „Selbst ein Gemüth, welches im höchsten Grade für ästhetische Eindrücke unempfänglich ist, welches Form und Anmuth, Komik und Tragik gleich indifferent lassen oder nur ein Wenig über seinen gewöhnlichen Zustand erheben, geräth ausser sich und in die Empfindung des Unendlichen, Allumfassenden, Göttlichen hinein, sobald ihm ein Erhabenes vor die Anschauung tritt.“ Zeising, Aesth. Forsch. p. 360. — „Beim Anblicke des Erhabenen fühlen wir uns — wie Faust dem Erdgeiste gegenüber — in demselben vernichtenden und beseligenden Augenblicke so klein, so gross. So klein, — denn das Weltliche in uns fühlt sich zerschlagen und vernichtet; so gross — denn im Innersten der Seele erwacht das Gefühl der Wahlverwandtschaft mit jenem Göttlichen.“ Eckardt, l. c. I, p. 98. —

ταῦτα δὲ δυναστείαν καὶ βίαν ἄμαχον προσφέροντα, πάντος ἐπάνω τοῦ ἀκροωμένου καθίσταται“. Scriptor igitur docet, sublimitatem plus efficere, quam persuasionem et venustatem, quum persuasio ut plurimum in nostra potestate sit, sublimitas vero invicta vi animum petat, omni auditore potentior. Deinde praebet cap. VII. 2: „*Φύσει γάρ πως ὑπὸ τ' ἀληθοῦς ὕψους ἐπαίρεταί τε ἡμῶν ἡ ψυχὴ, καὶ γαῦρόν τι ἀνάστημα λαμβάνουσα πληροῦται χαρᾶς καὶ μεγαλαυχίας, ὡς αὐτὴ γεννήσασα ὅπερ ἤκουσεν.*[61]) Perlegenti hos duos locos lucebit, sublimitatem, Longino judice, non cognosci nisi effectu. Quodsi cap. VIII. 1. habet „*πρῶτον μὲν καὶ κράτιστον τὸ περὶ τὰς νοήσεις ἁδρεπήβολοι*“ h. e. facultatem facile magnarum rerum notiones concipiendi ad sublimitatem efficiendam esse necessariam, atque *τὸ σφοδρὸν καὶ ἐνθουσιαστικὸν πάθος* alterum sublimitatis fontem designat: non est cur negemus, Longinum sublimitatis naturam plus minusve intellexisse. Verba sane digna sunt homine excellentis ingenii et generosae indolis, atque etiam rei copiosius illustrandae possunt inservire. Attamen, quamvis coagmentata et laevia, definitionem illa verba (c. VII. 2.) minime continent, sed nonnisi meram descriptionem dulcis, quo omnium mentes, ubicumque terrarum sublimitas apparet, implentur gaudii. Sin autem auctor, signis illis omnino verissime cognitis, ad uberius explicandam virtutem ac vim, quae sublimitati inhaeret, justam curam adhibuerit, non dubitamus quin pervenerit, ut veram de sublimi notionem evolveret. Multa enim admiratione digna atque a summa eloquentia profecta in lucem protulit, sive exempla affert e carminibus epicis, seu e poësi tragicorum et lyricorum, seu e disceptationibus forensibus judiciorum, seu e genere orationum, quod dicitur, deliberativo et demonstrativo. —

At superest, ut inspiciamus, quae recentiores critici ex philosophorum scholis eruditi de sublimitate statuerunt. Quem laborem subeuntes non tamen omnia, sed quae e disputatione horum scriptorum maxime improbabilia percepisse videmur, ea paucis complexi proferemus et judicabimus.

Omisimus hic Burkii sententiam diluere, quam crassiore et inficetiore in speciem Minerva exposuit in libro qui inscribitur „A philosophical enquiry into the origin of our ideas of the

61) Cf. Quint. I. O. VIII. 2. 21. —

sublime and beautiful". Illa enim opinio satis refutatur argumentis Kantii et Vischeri, et lepide ac strenue exploditur a viris Carriere et Zimmermann.[62]) —

Quae Kantius ille eximie doctus de sublimi senserit, facile cognoscas ex libello, cujus titulus est „Kritik der aesth. Urtheilskraft". Philosophus Burkii doctrinam, quae Sensualismum nimis redolet, recte quidem impugnat; sed ipse incidit in idealismum subjectivum, quem hic notare decrevimus. Constat Kantium cognitionem rei per se ipsam negavisse; unde fit, ut sublime et pulchrum ad mentem se ipsam intuentem et aestimantem retulerit. Quum autem ideas non ut veritatem externam (objectivam) agnoverit, sed pro meris intellectus cogitatis sive formis subjectivis habuerit, necessario concludit, sublimitatem nullibi reperiri, neque in iis quae omnino per sensus externos percipiantur, sive factis sive dictis: „Das eigentliche Erhabene kann in keiner sinnlichen Form enthalten sein, sondern trifft nur Jdeen der Vernunft."[63]) ... Contra hoc autem dicendum erit, a divina quidem mente poni sensum infiniti in corporibus terrenis et finitis; sed multum differre, utrum ratio nostra infinitatem illam imponat objectis an continuo ibi inveniat. Natura mens adducitur, ut conscientiam infinitatis suae ejusque sensum in objecta transferat. Ergo sublimitas pluris existimanda est quam merum phaenomenon et mentis ludibrium sive species, quae habet nihil expressi, nihil eminentis. Jam non adeo mirum, Kantii sententiam a nobis improbari, quum fundamentis, quae diximus, nixus omnem sublimitatem objectivam neget.[64]) Multa vero ejus doctrinae puncta verissima sunt, ac praecipue verba quae l. l. p. 74. leguntur: „Das Wohlgefallen am Erhabenen ist mit der Vorstellung der Quantität verbunden". At auctor quum non modo non significet, qua ratione sublime fundamento pulchri teneatur, sed etiam eodem loco aperte doceat: „Das Erhabene ist auch an einem formlosen Gegenstande zu finden", a vera et germana sublimitatis natura

[62]) Kant „Krit. d. Urth. ed. Berol." (1790) p. 126—127; Vischer „Aesthet." I, p. 106—107; Carriere „Aesthet." I, p. 105; Zimmermann „Geschichte d. Aesth." p. 264—165. —

[63]) Krit. d. ästh. Urth. p. 76.

[64]) l. l. p. 83: „Das Erhabene ist nicht in den Dingen der Natur, sondern allein in unsern Ideen zu suchen."

longe abest. Hinc etiam colliges, constitutionem sublimis, qualem Kantius his verbis „Erhaben ist das mit welchem in Vergleichung alles andere klein ist“[65]) proposuit, non sufficientem parumque idoneam a nobis putari. —

Paullisper me convertam ad Schillerum, qui vult sublime consistere „in einem Unendlichen, das Sinne und Phantasie zu geben und zu fassen verzagen, indess die Vernunft es erschafft und festhält“,[66]) et alibi „Erhaben ist das, was unsere Fassungskraft oder unsere sinnliche Widerstehungskraft überschreitet, oder zu überschreiten droht.“[67]) Quibus verbis rite perpensis, nihil ambiguitatis relinquetur, ab auctore sublimitatem mere subjective, i. e., ut mentis actum et prolem intellectam esse. Quamobrem Schilleri sententiam assensione nostra non comprobamus. Neque tamen diffitendum est, complura in scriptis huc pertinentibus exstare, quae aliquo ad illustrandum sublime momento sint. —

Alius vir insignis ex similibus principiis similia concludit, Fridericum Richter, vulgo Jean Paul, puto. Is arbitratur in „Vorschule der Aesthetik“, sublime ponendum vel potius positum esse in infinito quodam objecto, quod vocat „das angewandte Unendliche“. Rectissime. Nam ista via sublime ex objectis naturae in mentem transfertur, non vero per mentem in objecta, ut Kantius et Schillerus praecipiunt. Quantumvis autem studeat, ut omnem sublimitatem ad sensus potissimum externas referat, quibus ex objecto impressio fit, per quam in animo idea absoluti excitetur indeque animus ad ideam infiniti adscendat: nihilominus tamen cursu qui dicitur orationis revertitur ad Kantii placitum, secundum quod sublime in idea subjectiva collocatur. Quam vero disputationem rejicientes constituemus, ideam infiniti ex ipsis objectis quae sublimia designari velimus, profluere in animum necesse esse, deinde mentem nostram ad magnitudinem infinitam sive divinam provehi. Hic autem copiosius disserere de aliis minutiis ejus scriptorum, quae ad nostram quaestionem spectant, supersedemus, et ad potiora transibimus. —

---

[65]) l. l. p. 84.

[66]) „Ueber das Erhabene.“ Werke Bd. XII.

[67]) „Zerstreute Betrachtungen über verschiedene ästhetische Gegenstände.“ Werke XI, p. 468. —

Vir doctus Weisse opinione ducitur, sublime confici ex repugnantia, quae oriatur inter pulchritudinem objecti certi ac finiti, et aeterni atque infiniti pulchritudinem. Distinguit enim duos pulchri modos, quorum alter nititur singulis tantum rebus, unde nascitur pulchritudo singularis vel communis; alter continetur omnibus rebus atque universis, unde pulchritudo realis vel universalis. Sequitur igitur, ea quae percipiuntur ope sensuum externorum, iis quae internorum, adversari, vel potius, pulchrum et sublime emanare ex irrationalitate quadam ideae et speciei: id quod ineptum nobis videtur. Pulchrum enim — ut Carrierus non minus vere quam splendide dixit — „ist niemals der Kampf, sondern der aus dem Streit geborene Friede, allerdings keine leere Einfachheit und strenge Ruhe, sondern . . . . thatvoll lebendige Einfachheit, Harmonie als Lösung des Gegensatzes von Geist und Natur, Unendlichem und Endlichem.“ [68]) Proinde philosophus docet: „Das Schöne erhält sich nicht im Erhabenen, sondern wird von ihm nur vorausgesetzt, um aus seiner eigentlichen Sphäre hinaus in ein Jenseits gerissen zu werden.“ [69]) Vehementer errat scriptor quod credit, ex pulchri orbe sublime decedere, ut in mundum abeat superiorem. Nam sublime, licet pulchri singularitatem transcendat et egrediatur, minime quidquam de pulchritudine sua propria amittit, sed potius in verum pulchri regnum monstrat. Proprium enim omnis sublimitatis est, ut summum pulchri fastigium attingens ad ideam infinitam sive divinam totum animum convertat et rapiat. — Restat vero, ut maximum ejus sententiae vitium notem, quod in eo consistit, quod l. l. §. 22. disputat Weissius informe sublimi adeo infixum esse, ut alterum ab altero non possit sejungi. Informitatem autem accipit pro „ein Hinausgehen der endlichen Erscheinung über diejenigen Verhältnisse, innerhalb deren als besonderer und einzelner ihre eigenthümliche Schönheit beschlossen ist.“ Quam ut plane falsam opinionem perstrinxit Carrierus his verbis: „Danach bestünde dann das Kennzeichen des Erhabenen in der physischen Unmöglichkeit, in der Widernatürlichkeit, in der Ungestalt.“ [70]) In eadem cum critico sententia ego quoque me esse profiteor. —

[68]) l. l. I, p. 108; Cf. Lotze „Gesch. d. Aesth.“ p. 336. —
[69]) „System der Aesthetik“ §. 24. —
[70]) l. l. I, p. 108. —

Solgerus prorsus aliam ac Weissius viam ingressus est in constitutione sublimis, h. e., sublime penitus objective intelligit. Id putat in eo situm esse, quod finitum et infinitum mutuo se ponat et tollat. Si infinitum — ait — se ponit in finito, pulchrum oritur; contra, si finitum in infinito se ponit, habebimus sublime.[71]) Quae sententia ingeniosis quidem ratiociniis fulcitur, sed illi non assentimur. Sic enim pulchrum et sublime contraria videntur inter se. Praeterea animus, ut supra demonstratum est, per sublime emergit et attollitur in summam intelligentiam, i. e. divinam, cujus in civitatem ut quodammodo adscribatur. Dein vero Solgerus docet, pulchrum jam non reperiri in sublimi, ita ut id, quod dicimus pulchrum, numquum in sublime abire vel potius adscendere possit, neque id, quod vocamus sublime, ullum cum pulchro vinculum habere. Quae autem opinio, quum redoleat dualismum ac nihil habeat quo nitatur, plane rejicienda est. —

Rugius, qui in hujus rei investigatione summo studio et diligentia versatus est, appellavit sublime „jedes sich Hinaufkämpfen des endlichen Geistes in's Ewige.“ [72]) Habet aliquid duri haec sententia. Clarius autem cognosces, quid hoc sibi velit, quum legeris „Die Erhabenheit sei ästhetische Erhabenheit überall, wo sie als diese Thätigkeit (des Hinaufkämpfens) sinnliche Erscheinung werde. Rectissime. Sed haud exigua jactura videri debet, quod vir praegrave hoc momentum ad omnem sublimitatem necessarium esse non satis fortiter neque argumentatione plena exposuit. Alioquin enim meminerat, sublimi subjunctam esse totam pulchri formam, neque in pulchri primordio gradum sive locum sublimi adsignaverat.[73])

Denique transibo ad Fridericum Vischer. Jamdudum est quod assidua consideratio non magis quam diligens pervestigatio mihi persuasit, ab illo longe luculentissimum et locupletissimum de sublimitate librum conscriptum fuisse. Nam primus, quod sciam, non satis idoneas Hegelii deductiones effecit multo pleniores; primus operum naturae pulchritudini jus ac potestatem certiorem vindicavit; primus denique comico debitum locum adsig-

[71]) Aesthetik p. 84—86 sqq. —

[72]) Vorschule der Aesthetik p. 62—68. —

[73]) l. l. p. 57. —

navit, simulque comicum et sublime naturae et figurae (organismo) systematis scite admiscuit. Tanta est magnitudo Vischeri in aesthetices artem meritorum. At cave ne semper in philosophi verba jures, quum haud raro gravibus laborent vitiis. Inter alias quas ille protulit sententias, haec de sublimitate improbanda est: „Im Erhabenen erscheint das Bild durch das Ueberwachsen der Jdee als dasjenige, was nicht die Jdee ist, oder das Erhabene ist diejenige Form des Schönen, wo das ideelle Moment in negativem Verhältniss zum sinnlichen steht".[74]) Dicere me piget, virum suis judiciis non stare. Nam quum l. l. I., 117 putaverit cum Hegelio, (a quo definitionem pulchri mutuatur) pulchrum consistere in consensu atque unitate ideae ac speciei, sequitur, formam quae non exprimat quod in idea continetur, minime posse vocari pulchram, sed potius turpem. Quibus constitutis, nemo cum nostro sublime dicet id, quod cum idea non plane consonat, contra hoc ab omnibus vocabitur turpe. Sed videamus, quantam scriptor det operam, ut sententiam modo allatam stabiliat. „Wenn nun, — pergit p. 221 — die Jdee über die Grenze ihres Bildes übergreift, so scheint sie eben dadurch in ihre Allgemeinheit zurückzukehren, und zwar nicht nur in ihre Allgemeinheit als bestimmte Jdee, sondern in die Allgemeinheit der absoluten Jdee, so dass das Leben nicht nur des Jndividuums dieser Gattung, sondern aller Jndividuen aller Gattungen als nichtig verschwindet." Fateor me non intelligere, quid lucis hoc affundat definitioni supra constitutae; quod (ut dicam quod sentio) subtiliter magis quam dilucide dictum est. Quapropter Carrierus hanc definitionem sublimis suo jure castigavit.[75]) —

Plura etiam in quae inter scriptorum, quos nominavi, opera evolvenda incidi, reprehendere et emendare possum. Quod tamen in aliud tempus differo, quum partim meum non sit, plenam recensionem dare, sed maximam partem graviores tantummodo errores enotare et expellere, partim ne moles dissertationis meae nimis augeatur. —

Priusquam huic opusculo utique valde imperfecto finem imponamus, liceat pronuntiare, inter philosophos, qui curam et stu-

---

[74]) Metaphysik des Schönen I, p. 221. —

[75]) Aesthetik I, p. 109. —

dium in aesthetica insumserunt, quosque honore prosequimur, prae ceteris dignos esse qui legantur, homines excultae cujusdam elegantiae Carriere, Eckardt, Zeising, Carolum Lévêque, Davidem Sutter.[76]) Maxime invitus abstineo a transcribendis eorum locis, quos hic insertos vellem. —

Jam quum pulchrum et sublime pro facultate meae sollertiae in his rebus inquirendis spectata dijudicaverim, rationesque judiciis factis adjunxerim, laudaverim ex animi sententia virorum de his rebus agentium quae laude videbantur digna, nec silentio transmiserim quae displicebant: doctos viros, in quorum manus hic libellus forte incidet, etiam etiamque rogatos volumus, ut nos amice moneant de omnibus quae in eo minus recta notaverint, et id quod noverint rectius candide impertiantur. Meliora sapientis monita animo grato excipiemus, optime iis usuri, illud omnino nobis persuasum habentes, veritatis amico esse cum Tullio dicendum: „Cupio refelli; quid enim laboro, nisi ut veritas in omni quaestione explicetur?“ [77])

---

[76]) Esthétique générale et appliquée. Paris 1865.

[77]) Quaest. Tusc. III, 20. —

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

DISSERTATIONE

DE

PULCHRO ET SUBLIMI

INSCRIPTA

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXXI. MENSIS JULII A. MDCCCLXVIII

IN PUBLICO DEFENDET

SCRIPTOR

JOSEPHUS AUGUSTINUS DIEHL
NEOCASTRENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

GUILELMUS WEISSBRODT, CAND. PHIL.
CAROLUS GIESE, DR. PHIL.
JOSEPHUS VIGENER, CAND. PHIL.

MONASTERII.
TYPIS COPPENRATHIANIS.
MDCCCLXVIII.

THESES CONTROVERSAE.

1) Quaecumque Civitas Materialismum sinit radices agere, ea sua fundamenta subvertit.

2) Quamquam ad pulchritudinem necessario requiritur ut idea sensibili materia exprimatur, tamen falluntur qui solis formis sensibilibus eam constitui posse putant.

3) In Aeschyli Agam. v. 1533 Godofredi Hermanni lectio „κεκόλληται γένος προσόψει“ ferri nequit.

4) In Sophoclis Electra vv. 493—494 scribendum est:

Ἄλεκτ᾽ ἄνυμφα γὰρ ἐπέβα μιαιφόνων
Γαμῶν ὁμιλήμαθ᾽ οἷσιν οὐ θέμις.

5) Euripides pluris aestimandus est quam hodie a plerisque aestimatur.

6) Longini verba quae leguntur περὶ ὕψους c. VI.: „Γενέσθω φῶς, καὶ ἐγένετο· γενέσθω γῆ, καὶ ἐγένετο“ spuria sunt.

7) A Plauto positionem verbi quod est „esse“ negligi Ritschelius non idoneis argumentis comprobavit.

8) Epodon c. XVII. aliquanto prius quam vulgo creditur Horatius scripsit.

9) Tac. Annal. l. XII. c. 17 legendum est: „Igitur Zorsines, diu pensitato, Mithridatisne rebus externis (pro extremis), an patrio regno consuleret . . . .“

10) Injuria Ciceronem affecit Theodorus Mommsen.

VITA.

Josephus Augustinus Diehl natus sum ante d. XIV. Kal. April. anno h. s. XLI. Neocastri, in oppido prope ad Augustam Treverorum sito, patre Josepho, matre Anna Maria, e gente Hohn, quorum utrumque adhuc in vivis esse summopere laetor. Fidem profiteor catholicam. Linguae latinae et graecae elementis imbutus gymnasium Treverense adii; quàm palaestram per biennium frequentavi. Hinc ad absolvendum scholasticae institutionis cursum transgressus sum ad Athenaeum Luciliburgense. Autumno anni h. s. LX. maturitatis testimonio exstructus, in eadem literarum sede quam „Cours Supérieurs" vocant, philosophiae alumnis adscriptus sum. Per duo semestria scholis interfui philosophicis philologicis historicis V. V. Cl. Cl. Engling, Housse, Muellendorff, Neumann, Schaack, Schoetter, Wolff.

Postea Parisios me contuli potissimum literis Gallicis operam navaturus. In hujus urbis universitate et quidem partim in „Sorbona", partim in „Collegio Franciae" per unum dimidiatumque fere annum prodocentes audivi viros illustrissimos: Philarète Chasles, Demogeot, Egger, Géruzez, De Loménie, Nisard, Gaston-Paris, Paulin-Paris, Saint-Marc-Girardin.

Exinde ut in studiis scriptorum tam graecorum quam latinorum versarer, anno LXIII. ad almam inclytamque literarum Academiam Monasteriensem profectus per quater sex mensium spatium interfui scholis V. V. D. D. Bisping, Deycks, Niehues, Parmet, Rospatt, Stoeckl, Schwerdt, Treitz, Winiewski.

Infirma valetudine quominus studia mea ad finem quendam perducerem impeditus, per duos annos et sex menses juvenum instituendorum erudiendorumque curam suscepi in castello „Born" apud Comitem De Villers-Liedekerke-Beaufort.

Monasterium reversus autumno anni LXVII. per duo semestria audivi scholas V. V. Cl. Cl. ten Brink, Deycks p. m., Niehues, Parmet, Rospatt, Stoeckl, Winiewski.

Hisce viris omnibus gratias habeo quam maximas; singularem autem retinebo memoriam ac recordationem Viri Reverendissimi Illustrissimi Doctissimi Stoeckl, qui non uno nomine me sibi devinxit.